


5. 3. 84

CAIETANI MIGLIORE

VTRIVSQ. IVR. AC S. THEOL. DOCTORIS
FERRARIENSIS ROTAE QVINQVEVIRI
IN FERRARIENSI ARCHIGYMNASIO STVDIORVM PRAEFECTI,
ET ELOQVENTIAE, AC ROMANARVM, GRAECARVMQVE
ANTIQVITATVM PROFESSORIS
RAVENNATIS ARCHIEP. IN FERRAR. DVCATV VICARII
Regiae Florentinae Litterarum Academiae, Regiae Etruscae Cortonensis Antiquitatum, Neapolitanae Archiepiscopalis Ecclesiasticae, ac Patavinae Scientiarum, et Artium Socii

INSCRIPTIONES
ET CARMINA

EDIDIT

ANTONIVS IOS. TESTA PHIL. ET MED. DOCT.
IN M. FERRARIENSI NOSOCOMIO MED. ET CHIRVR. P. P. &c.
Regiae Parisiensis Med. Soc. Florentinae, Cortonensis, Regiae Taurinensis Scient. ac Regii Parisiensis Musei Corresp. Extr.



FERRARIAE APVD HEREDES IOSEPHI RINALDI

ANNO MDCCLXXXIX.

D. DACIERIO

REGIAE PARISIENSIS INSCRIPTIONVM
ET HVMANARVM LITTERARVM ACADEMIAE
A SECRETIS διὰ βίου.

ANTONIVS IOS. TESTA S.P.D.



Vm suave cuique sit in patriam reverso, eorum omnium, quos in itinere cognovit, memoriam repetere; tum longe jucundius, eos potissimum cum amicis commemorare, qui ingenio, ac doctrina, ceterisque animi virtutibus ad litterarum gloriam nati videntur. Iam hinc vides, DACIERIE doctissime, quorsum mea haec evadat Epistola. Neque vero posthac miraberis, si nil tam crebris usurpare soleam sermonibus, quam suavissimos eos dies, in quibus Te coram adloqui, tua consuetudine frui, tuas adeo interiores litteras, ac versatile ad omnia ingenium mirari dabatur. In quo illud singulare, ac tuum ferme

totum est, Vir humanissime, quod quantum ceteris ingenio ac doctrina, tantum animi ac morum suavitate facile antecellis; ut ipso in sermone, ipsis in actibus, in ipso denique oris, vultusque habitu, tua illa semper ultro cuique se prodat anima candidissima. Id enimvero in caussa fuisse arbitror, cur me novum hominem non in tuam modo, sed et in aliorum gratiam rapueris: optatissimum sane extero homini beneficii genus, in quod utinam perpetuo sat multi parato essent animo. Praeterea cum in amplissimam Regis Bibliothecam mihi per Ferias, quod ferme nemini licet, aditum impetraveris; meis in re litteraria exercitationibus, quantum in Te erat, prodesse studuisti; tum vero maxime per eos dies, in quibus in Gallicae Encyclopediae partem, quae medica est, nonnulla rursus articulatim conscribenda, effusa mihi amicorum voluntas obtulerat.

Interea quum mihi a studiorum tuorum communione remotissimo, quid Tibi contra de meo penu rependerem, deesset; alieno aere forte fortuna subventum est; atque ita quidem subventum, ut studiis, quae tua sunt, perapposite, meae vero, quod oportuerat, necessitati nil opportunius quadraret. Nempe cum in manus Latinae Inscriptiones casu venissent, quas Cajetanus Migliore, castigatissimus rei antiquariae cultor, non invita Minerva condiderat, partim quidem editas, partim vero ab Auctoris scrinio furtiva amicorum blanditie subreptas, unum in librum, quasi disjecta unum in corpus membra, compingere curavi; iisque restitutis, quas exscriptorum imperitia maculaverat, earum volumen nec Tibi, nec ceteris displici-

turum putavi. Nonnulla etiam ejusdem Auctoris Latina Carmina adnectere oportuit, quorum pleraque cum Inscriptionibus ipsis ita colligata erant, ut eorum alterum sine altero stare non posset. Accedebat, quod uno patre consimiles perinde foetus, compari elegantia, et numerosa styli dignitate, haberent similiter, quibus beatissima illa Italiae tempora nitidissima dictionis puritate inter nos restituta laetaremur.

Ad Inscriptiones quidem quod attinet, omnis ferme generis habes. Aliae enim Honorariae principibus Viris, illustribusque feminis e re nata positae, eorum facta, et commeritos in vita honores exhibent; cujusmodi quae Pio VI. *bonarum artium ad Augustaeam dignitatem restitutori Ferrariensium Collegia constituerunt. Item quae Franciscum Carafam S. R. Eccl. Cardinalem amplissimum spectant, quod Vrbem hanc nostram in eum auxerit modum, ut quantum litteris Ariostaeo nomine ceteras urbes vel vincebat, vel saltem aequabat; tantum viarum magnificentia, et regali intus forisque majestate, ceteris denique publicis, privatisque operibus aut pariter vinceret, aut certe aequaret. Aliae item pietatis ergo sepulchris affixae. Temporariae item aliae, ac praesertim funebres; ut illae, quae inter publicam moeroris pompam, novo scilicet, ac splendidissimo omnium ordinum ad parentalia conventu, nuper Ferrariae Alphonso Varano sunt positae; cujus spectatissimae nobilitati suppar ingenium sic Musis, et Apollini complacuit, ut eo decedente, non unus interiisse poeta, sed multi viderentur. Aliae similiter, quae publicorum, privatorumque operum, ac locorum sunt; tum quae festos*

Coelitum apparatus, ac profanas item pompas complectuntur. Postremo et quae mixti sunt generis, tum simplici, tum ornata dictione, ut res ipsa expostulabat, exaratae; in quibus singulis quidquid vetustae sit simplicitatis, ac munditiei, ecquid ego Tibi earum rerum judici acerrimo dicere occupavero? Vnum tamen, quod non facile alibi invenias, habes, Senatusconsultum Nuptiale, quod Gratiarum nomine cudit Auctor. Nam Veneres omnes, omnes eum in locum elegantias sic ille congessit, ut neque fictionis festivitati dictionis suavitas concedat, neque plus laudis scribendo, quam fingendo promeruerit: neque vero Gratiolae ipsae alio stylo edicere maluissent. Ceterum quum eas Inscriptiones quasi per saturam, nullo Classium ordine, typographo tradidissem, placuit earum per Classes Prospectum in fine subjicere.

Veruntamen dum tuo ista judicio lubens sisto, plura, et sane majora ejusdem Auctoris extare scias, quae publici juris jamdudum fecisset, si minus ipse sibi, limae diligentissimus, displicuisset. Ejusmodi est Ad Inscriptionem Flaviae Antoninae, sive de antiquis Iudaeis Italicis Commentarius, *in quo veteres Italiae Iudaeos, eorumque epitaphia, quae scilicet neque Ethnica sunt, neque Christiana, percurrens, tertium Lapidariae Scientiae genus, aut omnino intactum, aut vix summis labiis adhuc gustatum, plenissime exhaurit.* Ferrariensia *item* Marmora, *quae eo vindice in lucis usuram prodeant, non minima gens exspectamus: non enim leve et patriae, et Italicae Historiae praesidium inde exoriturum confidimus. Iam enim disciplinarum genus omne in dies apud nos fervet.*

Sumus quippe conditione Ferrarienses beatissima, ut quidquid heic rei litterariae est, Pii VI. beneficentia, ac Ioannis Mariae Riminaldii Cardinalis amplissimi liberalitate erga patriam incredibili, ipsomet denique Cajetano Migliore Studiorum Praefecto, geratur.

Interea quidquid in nobis erat, tuorum erga nos officiorum memores, Tibi, Vir Clarissime, dedimus, ut jucundissimum memoriae, et consuetudinis tuae monumentum aeternitati concrederemus. Tu contra me, ut facis, ama, et vale.

Datum Ferrariae Kalendis Decembribus 1788.

Die 4. Decemb. 1788.
IMPRIMATUR
Fr. V. A. Cavalloni Vic. Gen. S. O. Ferrariae.

Die 8. Decemb. 1788.
IMPRIMATUR
Dominicus Laurenti Vic. Generalis.





LATINAE PER SATVRAM INSCRIPTIONES.

In vestibulo Orationis editae Ferrariae pro sollemni studiorum inauguratione.

PIO. VI. PONTIFICI. MAXIMO
FELICI. AVGVSTO. PATRI. PATRIAE
PVBLICAE. FELICITATIS. CONCILIATORI
QVOD
ITINERIBVS. ELEGANTISSIME. COMMVNITIS
POMPTINIS. PALVDIVM. AQVIS
QVOD. FRVSTRA. MAIORES. TENTAVERANT. CORRIVATIS
APPIA. RESTITVTA. PROPAGATIS. AGRIS
COMMERCIO. AMPLIFICATO
PVBLICORVM. OPERVM. SVBSTRVCTIONIBVS
AD. ROMANAM. MAIESTATEM. A. SOLO. EXCITATIS
VATICANO. MVSEO. SIGNIS. TABVLIS
AEDIBVS. MARMORIBVS. OMNI. QVE. CVLTV
MAGNIFICENTIVS. ORNATO
FERRARIENSI. PRAESERTIM. ATHENAEO
REDITIBVS. BENEFICIIS. PRAEROGATIVIS. AVCTO
LITTERAS. ET. INGENVAS. ARTES
IN. SPEM. VETERIS. GLORIAE. RESTITVERIT
CAIETANVS. MIGLIORE
LIBELLVM. HVNC
RE. SATIS. TENVEM. OBSEQVIO. MAXIMVM
PRINCIPI. AD. AETERNITATEM. NATO
D. D. D. DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATI. QVE. EIVS

2

II

In adventu Pii VI. ad Ferrariense Archigymnasium

Supra portam forinsecus:

ADVENTVI
PRINCIPIS. AVSPICATISSIMO
PONTIFICIA. FERRARIENSIS. ACADEMIA
FELICITER

In atrio introrsum.

QVIDQVID. SVMVS
TVA. SVMVS. LIBERALITATE
PONTIFEX. CLEMENTISSIME
LITTERIS. RESTITVTIS. CENSV. AMPLIFICATO
LEGIBVS. CONSTABILITIS. IMMVNITATIBTS. AVCTIS
VNA. RESTABAT. QVAE. NOS. BEARET
AVGVSTA. ORIS. MAIESTAS
IO. PLAVDITE. ACADEMICI
VESTER. TOTVS. EST
VESTRO. VERSATVR. IN. GREMIO
PRINCEPS. INDVLGENTISSIMVS

Inscriptio perpetua.

PIO. VI
PONTIFICI. VERE. MAXIMO
QVOD. E. GERMANIA. ROMAM. REDIENS
FERRARIENSE. HOC. LYCEVM
ET. MAIESTATE. IMPLEVERIT. SVA
ET. FACILI. ORIS. SERENITATE. BEAVERIT
VIVIRI. ACADEMIAE. MODERATORES
PRINCIPI. MVNIFICENTISSIMO
PATRI. AMANTISSIMO
TANTI. MEMORES. BENEFICII. POSVERVNT

III

Ferrariae ad aedem Divi Dominici.

SISTE. PAVLLVLVM. QVISQVIS. ES

PIVS. ILLE. SEXTVS

HVMANI. GENERIS. DELICIAE

QVI. GERMANICVM. ITER. NON. TAM. PASSIBVS

QVAM. EGREGIIS. CONFECIT

SVMMAE. VBIQVE. CLEMENTIAE. SIGNIFICATIONIBVS

MOX. ROMAM. REDITVRVS

CVM. FERRARIENSES. SVOS

PLACIDA. IMPLERET. AVGVSTI. VVLTVS. MAIESTATE

VNVM. HOC. PRAE. RELIQVIS. OMNIBVS. COENOBIVM

XII. KAL. IVN. CIƆIƆCCLXXXII

PRAESENTIA. SVA. TAM. HVMANITER. RECREAVIT

VT. IPSA. ORIS. SVAVITATE

VERE. OMNIVM. MAXIMVS. VIDERETVR

HOC. INTERIM. SCIRE. TE. VOLEBAM

NVNC. ABI. ET. VALE

IV

Ferrariae in Sodalitio ad aedem Divi Dominici.

QVOD. PIVS. VI. GERMANIAM. ABITVRVS

DVM. HEIC. FERRARIAE. SISTERET

V. ID. MART. CIↃIↃCCLXXXII

AD. CONTIGVA. NON. PRIVS. DIVERTERIT. CVBICVLA

QVAM. HOC. IN. ORATORIO

PER. TEMPORARIVM. INGRESSVS. OSTIOLVM

CVM. PATRE. LVMINVM. SIT. LOCVTVS

POSTRIDIE. VERO

INCRVENTO. HEIC. ADSTITERIT. SACRIFICIO

SODALITII. DENIQVE. SOCIOS

AD. SANCTISSIMI. PEDIS. OSCVLVM. CLEMENTER. ADMISERIT

EIVSDEM. SODALITII. FRATRES

NE. TANTI. INTERCIDAT. FACTI. MEMORIA

TITVLVM. GRATI. ANIMI. TESTEM

DEVOTI. NVMINI. MAIESTATI. QVE. EIVS. POSVERVNT



Ferrariae in Ecclesia Metropolitana.

PIO. VI. PONT. MAX
CATHOLICI. NOMINIS. AMPLIFICATORI
QVOD. E. GERMANIA. ROMAM. REDITVRVS
INDICTIS. PRAETER. OMNIVM. EXSPECTATIONEM
IN. PROXIMO. HVIVS. TEMPLI. SACRARIO
CONSISTORIANIS. COMITIIS
ALEXANDRO. MATTHAEIO
FERRARIENSIVM. PASTORI. VERE. EVANGELICO
DESIGNATVM. TRIENNIO. ANTE
AMPLISSIMVM. PVRPVRAE. HONOREM
XI. KAL. IVN. CIↃIↃCCLXXXII
INTER. OMNIVM. ACCLAMATIONES. DETVLERIT
EOQVE. NOMINE. ET. CATHEDRAM. DIGNITATE
ET. ECCLESIAM. ORNAMENTO
FERRARIENSES. DENIQVE. SVOS
AETERNO. AVXERIT. AMORIS. TESTIMONIO
METROPOLITANAE. ECCLESIAE. CANONICI
BENEFACTORI. MVNIFICENTISSIMO
AERE. SVO. POS. DEV. NVM. MAI. Q. E

VI

In Ferrariensi Nosocomio.

COMMVNE. HOC
INFIRMAE. HVMANITATIS. PERFVGIVM
PIVS. ILLE. SEXTVS. P. M
FERRARIENSIVM. PRINCEPS. AC. PATER
DATIS. LITTERIS. CLEMENTIAE. PLENISSIMIS
DITISSIMO. AVXIT. ANNVO. REDITV
ET. VT. TANTAE. PRINCIPIS. BENEFICENTIAE
VTRAQVE. IN. POSTERVM. CONSPIRARET. POTESTAS
FERRARIENSI. LEGATO. ET. ARCHIEPISCOPO
CVRANDVM. TRADIDIT
ANNO. CIƆIƆCCLXXXIV
FRANCISCO. CARD. CARAFA. LEGATO
ALEXANDRO. CARD. MATTHAEIO. ARCHIEPISCOPO
SED. NE. FACTI. MEMORIA. EXCIDERET
FERDINANDVS. CARD. SPINELLIVS, SVCCESSOR. LEGATVS
TITVLVM. GRATI. ANIMI. TESTEM. PONI. IVSSIT
ANNO. CIƆIƆCCLXXXVII

Ibidem.

INSTITVTAM. A. PIO. VI. P. M
IN. PVBLICO. HOC. NOSOCOMIO
MEDICAE. PRAXIS. SCHOLAM
CARDINALES. PRAEFECTI
ASSIGNATIS. DE. OMNI. MORBORVM. GENERE
LECTIS. TRIGINTA
APERVERVNT. VIII. ID. NOV
ANNO. CIƆIƆCCLXXXVI
DOCENTE. PETRONIO. ZECCHINI
FERRARIENSIS. ATHENAEI. PROF. PRIM

VII

Ferrariae ad aedem Divi Benedicti.

QVOD. PIVS. SEXTVS
PONTIFEX. VERE. MAXIMVS
E. GERMANICO. ITINERE. IN. ITALIAM. REDVX
COENOBIVM. HOC
MAIESTATE. IMPLEVERIT. SVA
ATQVE. ORIS. SVAVITATE. BEAVERIT
BENEDICTINA. FAMILIA
NE. TANTAE. VMQVAM. CLEMENTIAE
MEMORIA. EXCIDAT
TITVLVM. GRATI. ANIMI. TESTEM
PON. CVR. AN. CIↃIↃCCLXXXII

In ingressu Ferrariensis Praetorii.

ADITVM. HVNC
CLEMENS. XIV. PONT. MAX
ARCVBVS. ORNAVIT. AMPLIAVITQVE
AD. HAEC
EXTERNAM. INGRESSVS. FACIEM
ET. QVAE. PONE. CONTINENTVR. CVBICVLA
MVLTO. ELEGANTIVS. RESTITVIT
ANNO. CIↃIↃCCLXXIII
CVRANTE. SCIP. CARD. BVRGHESIO. LEG. A. LAT

VIII

Lugi in Romandiola.

EMPORIVM. ITALIAE. FREQVENTISSIMVM
PORTICVS. ANGVSTIIS. AC. TEMPORARIIS. TABERNIS
NEC. MERCATORIBVS. SATIS. APTVM
NEC. MERCIBVS. TVTVM
FRANCISCVS. CARD. CARAFA. NEAP. FERRAR. LEGATVS
NE. QVID. IN. POSTERVM. ADLICIENDIS. MERCATORIBVS
NVNDINIS. AMPLIFICANDIS. MVNICIPIO. ORNANDO
CONFLVENTIVM. DENIQVE. COMMODITATI. DEESSET
EX. AREA. PRORSVS. VACVA. ET. ABNORMI
IN. AVGVSTAM. HANC. FORMAM
CVM. PORTICIBVS. ET. ORNAMENTIS
ADDITO. STATIONARIO. MILITE
AMPLIAVIT. ET. SVB. ASCIA. DEDICAVIT
AN. CIƆIƆCCLXXXIII

In Comaclensi Nosocomio.

PVBLICVM. HOC
INFIRMAE. HVMANITATIS. PERFVGIVM
NE. RESTITVENDAE. IN. POSTERVM. VALETVDINI
AVT. INOPIA. OBSIT. AVT. SOLITVDO
SEN. POP. Q. COMACLENSIS
AERE. SVO. A. FVNDAMENTIS. EXSTRVXIT
AC. CIVIVM. SALVTI, DEDICAVIT
AN. CIƆIƆCCLXXXIV
PII. VI. P. O. M. SEMP. AVG. AN. X

IX

In fronte Argentani Statuti.

FRANCISCO. CARD. CARAFAE
FERRARIENSIVM. LEGATO
QVEM. PER. DIVERSOS. MVNERVM. GRADVS
FIDES. DEXTERITAS. CONSTANTIA
AC. PAR. NOBILITATI. SVMMAE
IMPERTERRITVM. CATHOLICAE. GLORIAE. STVDIVM
AD. ROMANAM. PVRPVRAM. EVEXERVNT
QVO. AD. VENETOS. LEGATO
MOX. ET. EPISCOPORVM
AC. REGVLARIVM. NEGOTIIS. PRAEFECTO
VEL. DIFFICILLIMIS. REI. CHRISTIANAE. TEMPORIBVS
PONTIFICIVM. DECVS. VBIQVE. STETIT
QVO. DENIQVE. FERRARIENSIS. DITIONIS
IAM. PRIDEM. PRO. LEGATO
NVNC. PRAESIDE. VIGILANTISSIMO. INTEGERRIMO. QVE
NOVVS. ACCESSIT. PROVINCIAE. SPLENDOR
LEGIBVS. AVCTORITAS. IVDICIIS. SANCTITAS
AC. TEMPERATA. QVAEDAM. CVM. SVAVITATE. MAIESTAS
ARGENTANAE. TERRAE. DECVRIONES
ANTEHAC. INEDITVM. MVNICIPALE. STATVTVM
PRINCIPI. BENE. MERENTISSIMO
GRATI. ANIMI. MONVMENTVM. DD. DD



Pro publica Philosophiae disputatione Lugi habita.

FRANCISCO. CARD. CARAFAE
PVBLICAE. FERRARIENSIVM. FELICITATIS
RESTAVRATORI
QVOD. SVPRA. CETERAS
TOTIVS. PROVINCIAE. REGIONES
LVGIENSIBVS. SVIS
SE. PATREM. POTIVS. QVAM. PRINCIPEM. DEDERIT
NOVO. QVE. SANCTISSIMARVM. LEGVM. CODICE
AVCTIS. AERARII. RATIONIBVS
PVBLICAS. PRIVATAS. QVE. RES
BEATISSIME. CONSTABILIVERIT
IPSOS. ADEO. IRRVENTIS. FLVMINIS. IMPETVS
OPPORTVNE. AVERRVNCARIT
SPLENDIDIS. DENIQVE. OPERVM. SVBSTRVCTIONIBVS
COMMERCIVM. AVXERIT. DECVS. CONCILIARIT
PETRVS. ZACCARI. LVGIENSIS
QVALECVMQVE. HOC. LABORVM. SPECIMEN
RE. QVIDEM. SATIS. TENVE. AT. OBSEQVIO. MAXIMVM
LVGIENSIVM. PATRONO. MVNIFICENTISSIMO
DAT. DICAT. DEDICAT. LVBENS. MERITO



XI

Ferrariae in Foro vulgo Piazza Nuova *ad basim Columnae Alexandro VII. positae.*

In fronte primaria e regione aedis Bevilaquorum familiae.

ALEXANDRO. VII
PONTIFICI. VERE. MAXIMO
QVOD. EFFVSISSIMAM. ERGA. FERRARIENSES
QVAM. PRIMIS. AB. ANNIS
HEIC. PROLEGATVS. EXPRESSERAT. VOLVNTATEM
IN. SVMMO. IPSO. CATHOLICI. NOMINIS. SOLIO
NON. SERVARIT. MODO. SED. ET. FACILE. AVXERIT
AC. FERRARIENSIBVS. CIVIVM. TABVLIS
ADSCRIBI. PASSVS
NOVAM. PATRIAM
ANNVIS. REDITIBVS. LONGE. AVCTAM
AERE. ALIENO. AC. VECTIGALIBVS. LEVARIT
ORDO. POPVLVS. QVE. FERRARIENSIS
PONTIFICI. ET. CIVI. SVO. BENEFICENTISSIMO
STATVAM. GRATI. ANIMI. TESTEM
PEC. SVA. PON. CVR. AN. CIƆIƆCLXXV

E latere dextero.

HERCVLI. I. ATESTINO

FERRARIAE. DVCI. SECVNDO

PACIS. BELLI. QVE. ARTIBVS. FELICISSIMO

QVOD. AMPLIATIS. VRBIS. MOENIBVS

SPLENDIDISSIMA. HEIC. AEDIFICIA

AVT. AB. INCHOATO. EXCITARIT

AVT. ELEGANTIVS. RESTITVERIT

QVOD. LITTERARVM. GLORIAM

COMMERCII. FACILITATEM. AGRORVM. CVLTVM

FERRARIENSIBVS. SVIS. CONCILIARIT

S. P. Q. FERRARIENSIS

ANNO. PRIMVM. CIϽIϽ. T. STROTIO. SAPIENTVM. IVDICE

MOX. ANNO. CIϽIϽCLXXV

HERCVLE. MARCHIONE. TROTTO. SAPIENTVM. IVDICE

PRINCIPI. BENEMERENTISSIMO

TITVLVM. AERE. SVO. POSVIT

E latere sinistro:

QVAM. ALEXANDRO. VII. P. O. M
S. P. Q. FERRARIEN. ADHVC. VIVO. STATVAM
IN. FORI. ANGVSTIIS. COLLOCAVERAT
HANC
LAVRENTIVS. CARD. IMPERIALIS. FERRARIAE. LEGATVS
ET. HIERON. NOVARA. SAPIENTVM. IVDEX
IN. CONSPECTISSIMVM. VRBIS. LOCVM
HVC. TRANSFERRI. ET. BASI. SVPPOSITA
COLLOCARI. IVSSERVNT. AN. CIↃIↃCLX
MOX. NE. SIGISMVNDI. CARD. CHISII. FERRARIAE. LEGATI
DIGNVM. PATRVO. PONTIFICE. NOMEN
VLLA. IN. POSTERVM. DELERET. OBLIVIO
HERCVLES. MARCHIO. TROTTVS. SAPIENTVM. IVDEX
CETERI. QVE. VRBIS. X. VIRI
MARMOREO. HEIC. TITVLO. INSCRIBI. CVRARVNT
ANNO. CIↃIↃCLXXV

XIV

In parte aversa.

QVO. TEMPORE. HAEC. VRBS
FRANCISCI. CARD. CARAFAE. LEGATI
DVCTV. AC. PROVIDENTIA
DETERSIS. QVI. IAMDIV. SORDEBANT. AQVAEDVCTIBVS
VIIS. INTRA. EXTRA. QVE. POMOERIVM
SPLENDIDE. STRATIS
FORO. BOARIO. SORDIBVS. EXPVRGATO
LONGE. ORNATIORI. QVAM. ANTEA. VVLTV
OMNIVM. SE. SE. OCVLIS. COMMENDAT
VT. HOC. QVOQVE. MONVMENTVM
ANNORVM. INIVRIA. FATISCENS
AD. PVBLICAM. CONSPIRET. ELEGANTIAM
STEPHANVS. COMES. GRATIADEI. SAPIENTVM. IVDEX
AC. RELIQVI. VRBIS. X. VIRI
MARMORIBVS. OMNI. QVE. CVLTV
EXORNANDVM. CVRARVNT. ANNO. CIↃIↃCCLXXXI

XV

Parmae ad aedem Divi Dominici.

FERDINANDO. PARMENSIVM. DVCI. PIO. FEL. SEMP. AVG
QVOD. HOC. COENOBIVM. A. FVNDAMENTIS. EXSTRVXERIT
ANNVO. REDITV. LIBERALITER. AVXERIT
ECCLESIAM. PRETIOSA. SVPELLECTILE
AC. RARISSIMIS. DITAVERIT. SANCTORVM. LIPSANIS
DOMINICANAE. FAMILIAE. FRATRES
QVOD. VNVM. COENOBITICA. POTERAT. PAVPERTAS
MEMORIAM. PRINCIPI. INDVLGENTISSIMO. P. C
ANNO. CIↃIↃCCLXXXV

Ferrariae in Metropolitano Templo.

PERVETVSTAM. DEIPARAE. VIRGINIS. IMAGINEM
IN. PROXIMI. VESTIBVLI. PARIETE. OLIM. PICTAM
AC. PLVRIMIS. DISTINCTAM. PRODIGIIS
THOMAS. S. R. E. CARDINALIS. RVFFVS
PRAENESTINVS. AC. FERRARIEN. EPISCOPVS
RESECTO. MVRO
VICINOQVE. ALTARI
COLLATIS. PIORVM. HOMINVM. SYMBOLIS
MAGNIFICE. EXSTRVCTO
INSIGNI. POMPA. HVC. TRANSFERENDAM. CVRAVIT
VIII. KAL. MARTIAS. AN. CIↃIↃCCXXXIV

XVI

Ibidem.

QVOD. VIRGINEM. DEIPARAM
DIVINAE. HOMINIBVS. CLEMENTIAE. CONCILIATRICEM
IMMORTALI. IN. CAELIS. CORONA
ANGELORVM. REGINAM. STATVERIT. DEVS
AVREO. ETIAM. IN. TERRIS. DIADEMATE
VETVSTISSIMAM. EIVS. IMAGINEM
GRATIARVM. NOMINE. INSIGNEM
VATICANAE. BASILICAE. CAPITVLVM
EX. LEGATO. ALEX. SFORTIAE. COM. PALLAVICINI
SOLLEMNI. RITV. CORONAT
IO. PLAVDITE. FERRARIENSES
ET. OMNIVM. GRATES. SEMPER. HABEAT
QVAE. OMNIVM. VOTIS. NVMQVAM. DEFVIT

Ibidem.

SACRAM. HANC. DIVINAE. MATRIS. EFFIGIEM
GRATIARVM. TITVLO. REVERA. INSIGNEM
AC. VETVSTATE. OMNIVM. QVE. CVLTV. CELEBREM
ALEXANDER. EX. DVCIBVS. MATTEI
FERRARIENSIS. ARCHIEPISCOPVS
ANNVENTE. BASILICAE. VATICANAE. CAPITVLO
EX. LEGATO. ALEXANDRI. SFORTIAE. COMITIS. PALLAVICINI
MAGNA. CLERI. POPVLIQVE. FREQVENTIA
PLAVDENTIBVS. OMNIBVS
AVREO. DIADEMATE. SOLLEMNI. RITV. DECORAVIT
IX. KAL. IVNIAS. AN. CIↃIↃCCLXXIX

XVII

In Nuptiis Laurentii Comitis Rondinelli Ferrariensis cum Celtrude Gnudia Bononiensi.

LAVRENTIO . RONDINELLIO

PATRICIO . FERRARIENSI

SVAVITATIBVS. OMNIBVS. CIRCVMFLVENTI

QVOD . CELTRVDEM . GNVDIAM

PVELLVLARVM . FLOSCVLVM . ELEGANTISSIMVM

DOMVM. FELICITER. DEDVCAT

VIRTVTES. IPSAE

SIMILES. POSTHAC. NON. INVENTVRAE

TITVLOS . LAETITIAE. TESTES

AC . SOLLEMNEM . APPARATIONEM

LIB . LVB. POSVERVNT

SISTE. PARVMPER. QVISQVIS . ES

DIC. BONA. VERBA. ET. ABI

QVOD. BONVM . FELIX . FAVSTVM

FORTVNATVM. QVE. SIT. VTRIQVE. SPONSO . ET. PATRIAE



I.

IAM. SPONSA. CASTO. INGREDITVR. CVM. CONIVGE
AMOR. PRAEIT. FIDES. QVE. ET. ALMA. FAVSTITAS
IVNCTIS. PERERRAT. MANIBVS. CONCORDIA
HAC. RIDET. ILLAC. FREQVENS. VENERVM. CHORVS
POSTES. IVGALI. IMPEDIVNT. LAVREOLA
ROSAS. QVE. SPARGVNT. BLANDVLI. CVPIDINES
DVM. QVE. INTERIM. MORAE. IMPATIENS. FECVNDITAS
ZONAM. PVDICA. TREPIDAT. MANV. SOLVERE
SILENTIOSO. NOX. ADEST. PAPAVERE

II.

QVID. OTIOSI. QVID. MORAMVR. CONIVGES
IAM. IAM. REPOSTIS. FATVM. E. PENETRALIBVS
ALTO. FVTVROS. REVOCANS. SILENTIO
LONGO. IVBET. VENIRE. NATOS. ORDINE
QVEIS. BENDEDEA. GENS. GENS. RONDINELLIA
BENTIVOLI. QVE. MVSTII. BEVILAQVI
AVVM. VETVSTAS. RENOVENT. IMAGINES
FORTES. CREANTVR. FORTIBVS. BONIS. BONI
QVID. OTIOSI. QVID. MORAMVR. CONIVGES

I I I.

HYMEN . MARITA . DIVOS. IAM. VOCAT . FACE
PROCVL. PROFANI. QVISQVE. LINGVIS. FAVEAT
IAM. CASTA. CASTIS. IVNO. SVBIT. PEDIBVS
PRONVBA . IVNO. DOMIDVCA. ET. CINXIA
MATVRNA . CYPRIS. SVADA . SOLVIZONIA
PERTVNDA. VIRGINENSIS. PREMA. SVBIVGVS
ET . VINCLA . QVOTQVOT . CVRAE. SVNT. IVGALIA
VOBIS . PARANTVR . VOBIS . ADSTANT . NVMINA
VOBIS. QVE. SPONSI. CANDIDA. CADIT. HOSTIA

I V.

AT . VOS . ADESTE . VESTRO . ET . AMICOS . NVMINI
RISVS. IOCVS. QVE. CONIVGES. CIRCVMVOLET
FATI. QVE . VICTRIX. VERNANS. VSQVE. AETATVLA
LEPOS . VENVSTAS. ATTICA. ET. SVAVITAS
FORTVNA. VT . VNIS. BLANDIATVR . FAMVLA
VNIS. VT. IPSA. SERVIAT . NECESSITAS
SIC . DVM . SVPERBO . STERNITVR . PEDE . PRORVTVS
HVMVM. QVE . LIVOR. DENTE. MORDET. INVIDO
SOLVM . AVSPICATA . RIDEAT . BEATITAS

S. C.

PRID. ID. FEBRVARIAS. IN. TEMPLO. VENERIS. REGINAE AGLAIA. EVPHROSYNE. THALIA. DICTATRICIBVS. PERPETVIS FASCES. APVD. AGLAIAM. SCRIBVNDO. ADFVERE. CVNCTI QVOD. EVPHROSYNE. VERBA. FECIT. DE. HONORIBVS DECERNENDIS. CELTRVDI. GNVDIAE. QVID. DE. EA. FIERI PLACERET. DE. EA. RE. ITA. CENSVERVNT

QVOD. NASCENTI. GNVDIAE. IN. PENITIORIBVS. TEMPLI. NOSTRI ADYTIS. LEPIDISSIMVM. CORPVS. SVIS. IPSAE. MANIBVS EFFINXERINT. CHARITES. VENVS. VERO. REGINA. ANIMAM AFFLARIT. CANDIDISSIMAM

QVOD. AB. EO. DEINCEPS. TEMPORE. NIHIL. IPSA. FACERE AVT. DICERE. SCIVERIT. QVOD. FACERE. AVT. DICERE NON. MONERENT. VENERES. VT. IPSAE. FECISSE. AVT DIXISSE. VIDERENTVR. VENERES. EO. QVE. NOMINE. SVPRA CETERAS. AETATIS. SVAE. VIRGINES. SIT. DE. RE. PVBLICA NOSTRA. MAXIME. MERITA

QVOD. AD. INTIMOS. VOCATA. MVSICES. RECESSVS. PEDEM NON. PRIVS. INFERRE. SIT. AVSA QVAM. AD. ARAM. IVRARET A. SANCTISSIMIS. REI. PVBLICAE. NOSTRAE. LEGIBVS. NVLLO TEMPORE. DEFLEXVRAM. ID. QVE. OMNINO. SARTVM. TECTVM SERVARIT. EADEM. QVE. LEGE. PEDES. AD. NVMERVM. SVAVITER MOVERE. ASSVEFECERIT. VTI. NEC. ELEGANTISSIMIS INVIDEAT. REI. PVBLICAE. NOSTRAE. GRATIOLIS

QVOD . VERSATILI . AD . OMNIA . INGENIO . A . FREQVENTI FIDELI . QVE . CVM . CIVIBVS . NOSTRIS . CONSVETVDINE . EAM DERIVARIT . MORVM . ELEGANTIAM . AC . TEMPERATAM CVM . MAIESTATE . FACILITATEM . VT . ET . FESTIVO . ORIS HABITV . ET . INGENVA . SERMONIS . ADFABILITATE . ET COMPOSITO . AD . SVAVITATES . OMNES . ANIMO . SIBI . VNIVERSOS DEVINXERIT . VT . NEMO . AD . ILLAM . ACCESSERIT . QVIN EAM . CONTINVO . AMARET

QVOD . IAM . VIRO . MATVRA . QVVM . ILLAM . PLVRIMI . VXOREM PETERENT . EVM . PRAE . CETERIS . SIBI . EGREGIVM . HABVERIT SVAVISSIMVM . SPONSVM . QVI . PATRICIO . REI . PVBLICAE NOSTRAE . ORDINI . ADSCRIPTVS . SVPREMOS . SINE PROVOCATIONE . MAGISTRATVS . FLORENTE . ADHVC . AETATE HEIC . OPTIME . GESSERIT . AC . DE . BONIS . OMNIBVS . IVRE SIT . MERITISSIMVS

QVANDOQVIDEM . VENVS . REGINA . VENTVRI . PARTICEPS . FATI DE . MVLTA . CONIVGVM . PROLE . NOS . COMMODE PRAEMONVIT . PLACERE . VNIVERSIS . CONSCRIPTIS . VTI FILIOLI . FILIOLAE . QVE . OMNES . PERPETVIS . REI . PVBLICAE NOSTRAE . TABVLIS . HAC . IPSA . DIE . ADSCRIBANTVR . AC PLENISSIMO . CIVITATIS . NOSTRAE . IVRE . IN . POSTERVM GAVDEANT . VT . QVO . PRIMVM . AD . LVCIS . VSVRAM EVASERINT . NOSTRI . IAM . CIVES . DICANTVR . AC . SINT . IPSI VERO . GNVDIAE . STATVA . E . MARMORE . IN . CONSPECTISSIMO FORI . LOCO . LIVIAM . INTER . AC . TVLLIOLAM . CONLOCETVR

ET. QVOAD. LOCI. INGENIVM. PATITVR. MARMOREIS. EX INTERVALLO. PALIS. SEPIATVR. EI. QVE. STATVAE. TITVLVS INSCRIBATVR

GNVDIAE. CIVI. BENEMERENTISSIMAE

CHARITVM. RES. PVBLICA. EX. S. C. POSVIT

CIPPO. QVE. IN. PRAEGRANDI. SECVNDVM. STATVAM DEFIXO. HOC. DECRETVM. INCIDATVR. INSCVLPATVR. QVE GRATIAS. PVBLICE. HABENDAS. EVPHROSYNAE. QVOD SALVBRI. CONSILIO. TAM. HONESTAM. RELATIONEM. FECERIT VT. SIT. CETERIS. EXEMPLO. IVDICII. NOSTRI. TESTIMONIVM TABVLA. ITEM. AENEA. HVIVS. DECRETI. VERBA. CONTINENS IPSI. AFFERATVR. GNVDIAE. ET. EXCVSETVR. POTIVS HVIVS. TARDAE. COGITATIONIS. NOSTRAE. NECESSITAS HELENAE. GRAECARVM. PVLCHERRIMAE. NEGOTIVM. DETVR VTI. NEC. IMPENSIS. NEC. DILIGENTIAE. PARCENS. OPVS NVMERIS. OMNIBVS. ABSOLVTISSIMVM. PERFICI. CVRET. ET QVAE. EIVS. CVRATIONIS. CAVSSA. OPVS. ESSENT. VTI E. RE. PVBLICA. FIDE. QVE. SVA. VIDEBITVR. EX. FISCI NOSTRI. AERARIO. PRAEBEANTVR. ID. QVE. OMNE PERFICIATVR. DIEBVS. X. PROXIMIS. QVIBVS. SENATVS CONSVLTVM. FACTVM. ESSET. DENIQVE. OPERAM. DET CVRATRIX. VTI. PRO. SALVTE. ET. INCOLVMITATE. IPSIVS GNVDIAE. PVBLICAE. SVPPLICATIONES. VOTA. QVE. SOLLEMNIA DEDICATIONIS. DIE. FIANT. CONCIPIANTVR. INDICANTVR. QVE

XXIII

Ferrariae in tumulo Comitis Clementis Mosti.

HEIC . IN . PACE . QVIESCIT
CLEMENS . COMES . MOSTI . ESTENSIS
DOMO . FERRARIA
CVIVS . CANDIDISSIMA . MORVM . SVAVITAS
SENILIS . PRAETER . AETATEM . PRVDENTIA
VERSATILE . AD . OMNIA . INGENIVM
IPSA . DENIQVE . SVAVISSIMA . ORIS . ELEGANTIA
VT . OMNIVM . EI . ANIMOS . DEVINXERAT
SIC . ET . OMNIVM . LACRVMAS . IN . FVNERE . EXPRESSIT
QVO . AD . PLVRES . ABEVNTE
PIETAS . IPSA . CANDOR . INNOCENTIA
AC . CETERA . QVIBVS . SVPRA . AVORVM . IMAGINES
FACILE . ADSVRREXERAT . ANIMI . ORNAMENTA
PAREM . HEV . POSTHAC . NON . INVENTVRA
INTERCEPTAM . DOLVERVNT . QVAM . DE . SE . CONCITAVERAT
IN . IPSO . AETATIS . FLOSCVLO . EXSPECTATIONEM
VIX . AN . XXIII . MENS . VI . DIES . XII . HOR . XVII
NATVRAE . PARVM . AT . VIRTVTIBVS . SATIS . DIV
DEPOSITVS . PRID . ID . SEPTEMB . AN . CIƆIƆCCLXXIX
FRANCISCVS . ET . ISABELLA . RONDINELLI
CONIVGES . INFELICISSIMI
FILIO . AC . PRIVIGNO . DESIDERANTISSIMO
AETERNVM . DESIDERII . SVI . TESTEM
DOLORI . VIX . SVPERSTITES . CONTRA . VOTVM . POSVERVNT



XXIV

Centensi in urbe ad aedem D. Blasii.

HEIC. IN. PACE. QVIESCIT
IO. PHILIPPVS. MONTEFORTIVS. CENTENSIS
NON. SIBI. SED. POPVLORVM. COMMODIS. NATVS
CVIVS. VEL. PRIMA. INGENII. SPECIMINA
LAMBERTINIVM. IPSVM. HABVERVNT
LAVDATOREM. AC. TESTEM
SED. ET. EXSPECTATIONEM. FACILE. SVPERGRESSO
BENEDICTVS. XIV. INGENIORVM. VERE. AESTIMATOR
PAROECIAM. HANC. DIFFICILLIMO. TEMPORE
INTER. DISTRACTOS. POPVLARIVM. ANIMOS
VT. NVLLI. OTIOSIVS. CONCREDIDIT
SIC. IN. CONCREDITIS. OVIBVS
NEMO. FELICIVS. COLVMBAE. SIMPLICITATEM
CVM. SERPENTIS. PRVDENTIA. CONCILIAVIT
VIR. A. SCIENTIIS. AC. PIETATE. INCOMPARABILIS
IN. PAVPERTATE. DIVES. IN. DIVITIIS. PAVPER
CIVIS. AMICVS. SACERDOS. PATRIAE. AMICIS. ECCLESIAE
QVASI. SINGVLIS. NATVS. NVMQVAM. DEFVIT
MERITIS. DENIQVE. NON. AETATE. GRAVIS
NATVRAE. NON. LABORIBVS. CEDENS
VILLICATIONEM. SVAM. PATRI. FAMILIAS. PROBAVIT
HVIC. OMNIVM. LACRVMIS. EREPTO
PIETAS. LIBERALITAS. CONSTANTIA. VIRTVTES. OMNES
PAREM. FRVSTRA. QVAERENTES. POSVERVNT
VIXIT. ANNOS. LXVI. MENSES. X. DIES. IV
DEPOSITVS. VIII. KAL. SEPTEMB. CIↃIↃCCLXXXII



XXV

Ferrariae ad aedem Divi Gregorii.

A. Ω
HEIC. IN. PACE. QVIESCIT
SEPTIMIVS. CEDRI. PATRICIVS. PISANVS
ACRI. VIR. INGENIO
MORIBVS. CANDIDISSIMIS. IMMOTA. RELIGIONE
LITTERIS. AMICIS. PIETATI. AD. SEPVLCHRVM. VIXIT
IN. CAVSSARVM. PATROCINIIS. AC. SANCTIORI. IVRIS. PRVDENTIA
ROMANI. FORI. PRINCIPATVM
OMNIVM. CONSENSV. OBTINVIT
FERRARIENSI. FISCO. PER. DECENNIVM. PRAEPOSITVS
SIC. PRINCIPI. ADFVIT. VT. NEMO. FIDELIOR
SIC. SVBDITOS. IVVIT. VT. NEMO. AD. HVMANITATEM. PROCLIVIOR
PIVS. ABSQVE. FVCO. BENIGNVS. IN. EGENOS
IN. OMNES. LIBERALIS
LITTERATOS. PRAESERTIM. HOMINES
LITTERARVM. ET. IPSE. CVLTOR. AMAVIT. ET. COLVIT
CARVS. OMNIBVS. PIO. VI. CARISSIMVS
VIXIT. ANNOS. LXXIII. MENSES. IV. DIES. XV. HORAS. VI
ELATVS. OMNIVM. LACRVMIS
III. KAL. IVNIAS. CIƆIƆCCLXXXVIII
CATHARINA. PESCETELLIA. SORORIO. AMANTISSIMO
NICOLAVS. PESCETELLIVS. AMICO. INCOMPARABILI
DOLORI. VIX. SVPERSTITES. POSVERVNT
VALE. ANIMA. SVAVISSIMA
DE. QVA. NIHIL. VMQVAM. PRAETER. MORTEM. DOLVIMVS
NOS. TE. QVO. NATVRA. DVCET. ORDINE. SEQVEMVR



XXVI

Ferrariae in aula Academiae Intrepidorum temporaria inscriptio.

AVE. ALPHONSE. ET. SALVE
ITALICAE. POESEOS. AD. GRAECAM. MAIESTATEM
RESTAVRATOR. ET. VINDEX
CVIVS. IMMOBILIS. PIETAS. RIGIDA. INNOCENTIA
INGENIVM. AD. SVMMA. OMNIA. FACTVM
PLVS. DECORIS. SPECTATISSIMAE. FAMILIAE
AC. FERRARIENSIVM. NOMINI. REDDIDIT
QVAM. AB. AVORVM. GLORIA. ACCEPERAT
ITERVM. AVE. ET. SALVE
QVAE. TE. SVPERBIENS. SOCIO. ACADEMIA
TVIS. TAM. SAEPE. VERSIBVS. PLAVSIT. LAETISSIMA
NVNC. ATRATA. ET. SQVALORE. OBSITA
AMISSVM. HEV. FRVSTRA. DECVS. QVAERIT
AT. VOS. MOERORI. IAM. PARCITE. ACADEMICI

ABSINT. INANES. TVRPI. QVESTV. LACRVMAE
PVRVS. REDIVIT. VNDE. EXIERAT. SPIRITVS
COELOQVE. SIDVS. SPATIATVR. AVREVM
NEC. TOTVS. INTERIM. ILLE. TERRIS. OCCIDENS
QVOAD. PRETIVM. AETAS. ARROGET. VIRTVTIBVS
SVI. QVE. QVAMDIV. NOMINIS. MEMORIA
INFIXA. NOSTRIS. INSIDEBIT. CORDIBVS
VIVET. SVPERSTES. FVNERIS. QVE. NESCIVS

XXVII

Ferrariae in Metropolitana supra portam forinsecus.

ALPHONSO . VARANO
PATRICIO . FERRARIENSI
IOSEPHI. II. AVG. INTIMAE. ADMISSIONIS. CVBICVLARIO
PATRII . NOMINIS . AMPLIFICATORI
LITTERARVM. GLORIA. AC. PIETATIS. CANDORE
SAECVLIS. OMNIBVS. INVIDENDO
RODVLPHVS. VARANVS
CONSOBRINO. DESIDERANTISSIMO
IVSTA. PARENTALIORVM. OFFICIA
MORE. MAIORVM
QVISQVIS. ES
PACEM. ADPRECATOR
ANIMAE. INNOCENTISSIMAE

In vico Vigarani a Mainarda Ferrariensis ditionis.

A. Ω
HEIC. RESVRRECTIONEM. EXSPECTAT
ANTONIVS. FORNARI. FERRARIENSIS
HVIVS. VICI. SACERDOS
EXPRESSA. EVANGELICI. PASTORIS. IMAGO
QVI. CONCREDITAS. OVES. VT. PER. SE. PASCERET
CONTRACTO. MORBO
PRO. QVIBVS. VIXERAT. OBIRE. NON. RENVIT
OMNIBVS. CARVS. OMNIVM. LACRVMAS. EXPRESSIT
VIX. ANN. XLI. MENS. IV. DIES. XVIII
DEPOSITVS. POSTRID. NON. MAI. CIƆIƆCCLXXXVIII
ERIT. IN. PACE. MEMORIA. EIVS

XXVIII

Ferrariae ad aedem D. Stephani.

HEIC . IN . PACE . QVIESCIT
ALOYSIA . GADDIA
DOMO . FORO . LIVII
IOANNI . COMITI . TRONIO . PRIMVM
DEIN . PHILIPPO . COMITI . CICOGNARA
SECVNDIS . VOTIS . NVPTA
GENERIS . SPLENDORE . AC . MORVM . SVAVITATE
COMMENDATISSIMA
EXIMIVM . VERO . MARITALIS . CONCORDIAE
AC . MATRVM . FAMILIAS . EXEMPLAR
HVIC
PHILIPPVS . HEV . CONTRA . VOTVM . SVPERSTES
CONIVGI . SVAVISSIMAE . AC . PIENTISSIMAE
DE . QVA . NIHIL . DOLVIT . NISI . MORTEM
MONVMENTVM . PEC . SVA . POS
VIXIT . ANNOS . XLIII . MENSES . IV . DIES . XXIV
DEPOSITA . VIII . KAL . IVN . CIƆIƆCCLXXIX

Bondeni in agro Ferrariensi.

FERRARIENSE . BREPHOTROPHIVM
DIRECTVS . HVIVS . PRAEDII . DOMINVS
LAVRENTIO . COMITI . PANZACCHIO
PATRICIO . FERRARIEN . AC . BONON
VTILE . EIVS . DOMINIVM . EA . LEGE . DEDIT
VT . AB . EO . QVEM . HIC . NOMINAVERIT
QVARTVM . DEINCEPS . HEREDEM . SEQVATVR
SOLVTIS . IN . ANNOS . SINGVLOS . SCVTIS . IƆCCXLI
ACTVM . APVD . BONGIOCHIVM
PVB . CVR . ARCHIEP . FERRAR . TABELLIONEM
AN . CIƆIƆCCLXXVI

XXIX

Sub effigie Antonii Saracinelli summi oratoris.

ANTONIO . SARACINELLIO . PATRICIO . VRBEVETANO
INGENIO . AD . OMNIA . VERSATILI
QVOD . EIVS . IN . DICENDO . MAIESTATI
CANDIDA . SEMPER . ABSQVE . FVCO . ELEGANTIA
AC . VICTRIX . AD . PIETATEM . FACVNDIA
IPSA . DENIQVE . FAMVLETVR . ORIS . VOCIS . QVE . SVAVITAS
ADHAEC . ARTEM . ARTE . IPSA . SVPERANS
TVNC . MINVS . VIDEATVR . QVVM . MAXIME . OMNIVM . CONSENSV
SACRAE . ELOQVENTIAE . PRINCIPATVM . OBTINEAT
ORDO . POP . Q . FERRARIENSIS
ORATORI . PHILOSOPHO . PHILOLOGO
ANNO . CIϽIϽCCLXXXVII . POS

Ferrariae in domestica Auctoris Bibliotheca.

MVSIS . ET . APOLLINI
DIS . BONIS . BONAE . PACIS . CONCILIATORIBVS
OTIOSA . HAEC . A . FORENSI . STREPITV
EX . INTERVALLO . SILENTIA

LIBRI . NOSTER . AMOR . LATERI . NE . ABSCEDITE . NOSTRO
VOS . INTER . DVLCE . EST . VIVERE . DVLCE . MORI

Romae.

IVLIO. MARIAE. ZAFFARINIO
DOMO. FERRARIA
V. I. D. AC. PROTONOTARIO. APOSTOLICO
S. CONSTANTINI. IN. SICILIA. ABATI. PERPETVO
CAPITOLINIS. PATRICIORVM. TABVLIS. ADSCRIPTO
INGENITA. MORVM. ELEGANTIA
AC. CETERIS. ANIMI. SVAVITATIBVS. COMMENDATISSIMO
IVLIVS. ZAFFARINIVS. FERRARIENSIS
NE. AVI. BENEMERENTISSIMI
MEMORIA. POENE. DEPERDITA. PRORSVS. PERIRET
TITVLVM. HOC. IN. TEMPLO
VBI. CINERES. IN. PACE. QVIESCVNT
PEC. SVA. POS. AN. CIƆIƆCCLXXXIX
VIX. AN. L. MENS. VIII. DIES. XVI
DEPOS. VII. ID. OCTOB. AN. CIƆIƆCLXXXXVII

Ferrariae in Metropolitana sub imagine Emi Giraud

BERNARDINO. CARDINALI. GIRAVDIO
FERRARIENSIVM. ARCHIEPISCOPO
QVOD. METROPOLITANAM. HANC. ECCLESIAM
SINGVLARI. SEMPER. BENEVOLENTIA
AD. HAEC. SVPELLECTILI. ET. ANNVO. REDITV
SACERDOTIVM. ABDICATVRVS. AVXERIT
EIVSDEM. CATHEDRALIS. CANONICI
BENEFACTORI. MVNIFICENTISSIMO
GRATI. ANIMI. TESTIMONIVM. POSVERVNT
SEDIT. ANNOS. III. MENS. X
DIMISIT. DIE. XVII. FEBRVAR. ANNO. CIƆCIƆCCLXXVII

XXXI

Ferrariae ad aedem Sancti Spiritus.

P
A. X. Ω

ANTONIO. MVSAE. BRASAVOLAE
DOMO. FERRARIA. PATRICIA. NOBILITATE
HOMINI. AD. SCIENTIAS. OMNES. NATO
MEDICAE. PRAESERTIM. ARTIS
AD. VETEREM. DIGNITATEM. RESTITVTORI
MVLTORVM. PRINCIPVM. ARCHIATRO
DONATVS. ET. IVLIVS. CAESAR. BRASAVOLA. FRATRES
PROAVO. SVO. INCOMPARABILI
TITVLVM. AMORIS. TESTEM
POSVERVNT. ANNO. CIƆIƆCCLXXXVIII
VIXIT. AN. LV. MENS. V. DIES. XX
DEPOSITVS. PRID. NON. IVL. AN. CIƆIƆLV

Ferrariae in Ecclesia mulierum Cappuccinae familiae.

LAVRENTIO. SODERINIO
DOMO. ROMA. PATRICIA. NOBILITATE
PRAESIDIAR. CENTVMCELLIS. PRAEFECTO
MOX. FERRARIENSIVM. COHORTIVM. TRIBVNO
ANTIQVAE. VIRTVTIS. HOMINI
MORVM. SVAVITATE. OMNIBVS. CARO
EGENORVM. PRAESERTIM. PARENTI. LIBERALISSIMO
TIBERIVS. FRATRIS. FILIVS
SACRI. PALATII. XII. VIR. STLITIBVS. IVD
HVC. ROMA. PROFECTVS
TITVLVM. EX. TEST. PEC. SVA. PON. CVR
VIX. ANN. XCI. MENS. VIII. DIES. IX
DECESSIT. ID. MARTIIS. AN. CIƆIƆCCLXXXVIII
AVE. PATRVE. DESIDERANTISSIME
ET. VALE. IN. PACE

XXXII

Ferrariae ad aedem D. Pauli.

HEIC. IN. PACE. QVIESCIT

ANGELVS. FELICI

DOMO. PONTIANO

LEGVM. PRVDENTIA. AC. MORVM. SVAVITATE

PRAESERTIM. EXIMIA. IN. EGENOS. LIBERALITATE

NVLLI. SECVNDVS

QVO. DENIQVE. CAVSSIS. CRIMINALIBVS

IN. FERRARIENSI. CVRIA. PRAEFECTO

NEC. RESPVBLICA. IN. PERQVIRENDIS. REIS. DILIGENTIOREM

NEC. REI. IPSI. HVMANIOREM

RARISSIMO. EXEMPLO. HABVERVNT

VT. VTRISQVE. CARVS. OBIERIT

VIXIT. ANNOS. LXXII. MENS... DIES...

DEPOS. POSTRIDIE. ID. DEC. CIↃIↃCCLXXV

QVISQVIS. ES

PACEM. ADPRECATOR. ANIMAE. INNOCENTISSIMAE



XXXIII

Ferrariae ad aedem Divi Dominici.

QVIETI. AETERNAE
GALEATII. ALEX. F. MARCHIONIS. FIASCHI
PATRICII . FERRARIENSIS . S. R. IMP. NOBILIS
QVI. VERNANTE. ADHVC. AETATE
IN. EXERCITV . TERESIAE . AVG. ROM. IMPER
TANTA. VIRTVTE. MILITAVIT
QVANTVM. ACCEPTA. OSTENDVNT
IN. GERMANICO. BELLO. VVLNERA
MOX. IN. PATRIAM. HONESTA. MISSIONE. REDVX
MILITARI. DISCIPLINAE
FERRARIENSIVM. PRAESIDIAR. SIC. PRAEFVIT
VT. NVNQVAM. LEGIO. DOMI. EXERCITATIOR
FRVGI. HONESTVS. INTEGER. RELIGIOSVS
AETERNVM. SVI. DESIDERIVM
APVD. OMNES. ORDINES. RELIQVIT
VIXIT. ANNOS. XLIX. MENS. X. DIES. XII
ELATVS. FVNERE. PVBLICO
X. KAL. IVL. AN. CIϽIϽCCLXXXVIII
LVDOVICVS. FIASCHI
FRATRI. AMANTISSIMO. CONTRA. VOTVM. POSVIT

XXXIV

Neapoli in funere Iosephi Ducis Crivelli

Supra Ecclesiae portam forinsecus.

IOSEPHO. DVCI. CRIVELLIO

ROCCAE . IMPERIALIS . PRINCIPI

FRANCAVILLAE . MARCHIONI

IMMATVRA. HEV. MORTE. SVBLATO

CELTRVDA . ISASTIA

VNI . POSTHAC . MOERORI . VICTVRA

COMPARI . CONCORDISSIMO

SVPREMA. AMORIS. AC. PIETATIS. OFFICIA

CONTRA . VOTVM

NON . VNA . CONIVX . COMPARI. SVAVISSIMO

TENELLVLI. QVE. HEV. SINE. PATRE. FILII

VERVM . PARENTAT. HOSPITALIS . LARGITAS

PIETAS. FIDES. PVDOR. QVE . ET. LIBERALITAS

DEIN. SECVNDVM . HAVD . INVENTVRAE. AVT. SIMILEM



XXXV

In fronte temporarii tumuli.

NATVRAE. PARVM. QVIDEM

AT. VIRTVTIBVS. SATIS. DIV. VIXIT

QVI. NEC. DEO. PIETATE. NEC. CONIVGI. FIDE

NEC. FILIIS. VIGILANTIA

NEC. EGENIS. LIBERALITATE

VSQVAM. DEFVIT

AD. HAEC. NON. SIBI. SED. AMICIS. NATVS

VEL. INVITOS. BENEFICIIS. ADIVIT

TANTA. DENIQVE. FORTITVDINE. EXCELLVIT

QVANTAM. PERTINACISSIMA

AFFECTAE. VALETVDINIS. INCOMMODA

MVLTIS. ABHINC. ANNIS

CONSTANTISSIME. TOLERATA. OSTENDVNT

AVE. ANIMA. INNOCENTISSIMA

CONFECTIS. MATVRE. VIRTVTVM. STIPENDIIS

LAVREA. FRVERE. IN. PACE

ITERVM. AVE. ET. SALVE



XXXVI

Neapoli in funere Gerardi Carafae Polycastri Comitis

Supra Ecclesiae portam extrorsum.

PRO. SPE. ET. SECVRITATE. AETERNA.
GERARDI. CARAFAE
POLYCASTRENSIVM. COMITIS. S. R. I. PRINCIPIS
OB. GENERIS. AMPLITVDINEM. ANIMI. QVE. ORNAMENTA.
CVM. PAVCIS. NVMERANDI
TERESIA. ROCCELLAE. PRINCEPS
VNICA. SVPERSTES. FILIA. HERES. EX. ASSE
LVCTVI. AC. MOERORI. HEV. RELICTA
PATRI. OPTIMO. AC. BENEMERENTISSIMO
SVPREMA. PIETATIS. OFFICIA

In temporario tumulo.

I.

SVBIECTARVM. SIBI. GENTIVM
PATER. POTIVS. QVAM. PRINCEPS
GERARDVS. CARAFA
VIX. EAS. SIBI. SOLVENDO. IMPARES. SENSIT
CONGESTAS. IN. POLYCASTRI. FORO
NOMINVM. TABVLAS
RARO. LIBERALITATIS. EXEMPLO. INCENDIT
AT. CVM. TANTAM. VNA. DIECVLA. PECVNIAM. ABSVMPSERIT
IMMORTALE. EA. DE. RE. NOMEN
NVLLA. PORRO. DELEBIT. OBLIVIO

II.

GERARDI . CARAFAE
IN . LIBERORVM . INSTITVTIONE . VIGILANTIAM
VNA . INSTAR . OMNIVM . TERESIA . LOQVITVR
AT . TV . ANIMA . DVLCISSIMA . ET . INCOMPARABILIS
PAREM . HANC . TIBI . VNI . FILIAM
ADHAEC . COGNOMINEM . GERARDVLVM
SVCCESSIONIS . REPARATOREM
CETERVM . DENIQVE . LECTISSIMVM . GREGEM
DIGNOS . TANTO . AVO . NEPOTES
BONVS . RESPICIAS
VT . TE . PRECATORE . DEVS . O . M .
TERRIS . EOS . DIVTISSIME . COMMODET .

III.

GERARDVM . CARAFAM
QVEM . AD . OMNIVM . VIRTVTVM . EFFIGIEM
NATVRA . FINXERAT
ROBORE . TANTO . ET . CONSTANTIA . OBARMAVIT
VT . MASCVLA . SOBOLE . DESPERATA
TVM . HIPPOLYTA . CARAFA
VXORE . RARISSIMI . EXEMPLI
CVM . QVA . VIXIT . SINE . VLLA . QVERELA
DIVTVRNIS . MALIS . LABORANTE
AD . HAEC . IPSE . MOLESTISSIMI . MORBI
PERTINACIA . CONFLICTATVS
QVESTVBVS . INTERIM . PARCENS
FORTEM . SEMPER . GESSERIT . ANIMVM



IV.

NOBILITATEM. NON. GENERIS. AMPLITVDINE
SED . MORVM . SVAVITATE . CONSTARE . RATVS
GERARDVS. CARAFA
SVPRA. SPLENDIDAS. AVORVM. IMAGINES
SVIS. IPSE. VIRTVTIBVS
PRAESERTIM. FACILITATE
QVA. SE. OMNIBVS. EXAEQVABAT
ADEO. ADSVRREXIT
VT. NON. IPSE. FAMILIAE. SED. EI. FAMILIA
NOMEN. ACCEPTVM. REFERAT

V.

VETVSTVM. GENTIS. DECVS
IMA . DIES . MORTALIBVS. ABSTRAHIT
VNA . EST. SVPERSTES. PROBITAS
MORES . INGENIVM . GRAVITAS
HIS. INNIXVS. GERARDVS
IAM . FRVITVR . SVPERIS. AETERNA . IN . LVCE

VI.

AVE. GERARDE
AMICORVM. IAM. VOLVPTAS . ET. DELICIVM
NVNC . DOLOR. ET. DESIDERIVM
SI. LACRYMIS . IMPORTVNA . HEV . MORS . SEDARETVR
ID . TVORVM . SVSPIRIA . VICISSENT
QVI. IN. TANTA. ORBITATE . DESOLATI
NI . SVPREMI . NVMINIS . LEX . VETARET
VIVOS. SE. TECVM. CONTVMVLASSENT



XXXIX

Neapoli in Vairorum Villa.

D. O. M
SACELLVM . HOC
DIVAE. ANNAE. TVTELA. BEATISSIMVM
QVOD
PROFANAE . AEDIS . CONTINENTIA . VELVTI . POLLVERAT
CARMINVS . VAIRVS
VT . SVVS. DIVINAE. DOMVI . STARET. HONOS
CONTRACTA . FVNDI . SVI . PARTE
HEIC . AB. INCHOATO . RESTITVENDVM . CVRAVIT
ET . COMMODA. SVPELLECTILE. AVXIT
ANNO . CIƆIƆCCL

Neapoli ad Moniales Sancti Ioannis.

LIVIAE . SPINELLAE
INCOMPARABILI. NOSTRI. TEMPORIS. HEROINAE
QVAE
ABDICATIS. SAECVLI. ILLECEBRIS
IN. IPSO. IVVENTAE. FLORE
SACRA. HAEC. SILENTIA
DEO . AC . SIBI. VNICE . VICTVRA. INGREDITVR
ADCLAMENT . VNIVERSI

DELICIAE. VALEANT . VALEANT . SOLATIA. SAECLI
ME . RAPIT. HVC . VNVS. VIRGINITATIS . AMOR

XL

Herculani ad Dominicanorum aedem .

TEMPLVM . HOC . ABNORME . ANTEA
AC . VETVSTATE . COLLABENS
NE. SVVS. DIVINO. NOMINI. DECOR
AC . FIDELIVM . PIETATI . FERVOR . DEESSET
IN . ELEGANTIOREM . HANC. FORMAM. REDIGENDVM
OMNI . QVE . CVLTV . EXORNANDVM
AERE . SVO . CVRARVNT
DOMINICANAE . FAMILIAE . FRATRES
ANNO . CIƆIƆCCLXVIII

Neapoli .

HEIC . REQVIESCIT
EXSPECTANS. BEATAM . RESVRRECTIONEM
DOMINICVS . NEAPOLITANVS. V. I. D
PATRICIVS . LANCIANENSIS
INNVMERIS. ANIMI . SVAVITATIBVS
PRAESERTIM . SVMMA . ANIMI . DEMISSIONE
AD. MIRACVLVM. ORNATISSIMO
TANTA . VERO. IN. PAVPERES. LIBERALITATE
QVANTAM . IN . EIVS. DORMITIONE
EGENTIVM . LACRVMAE . OSTENDVNT
VIXIT . ANNOS . . . . DIES . . . . MENSES
DEPOSITVS . IN . PACE . . . . CIƆIƆCCLXX



XLI

Ibidem.

SACELLVM . HOC
VNI . TRINO . QVE . DEO . DICATVM
ANTONIVS . MARIA . PESSETTI
EORVM . PRAESERTIM . COMMODO
QVI . PROCVL . AB . VRBE
HAC . IN . VICINIA . RVSTICANTVR
AERE . SVO . A . FVNDAMENTIS . EXSTRVXIT
OMNI . QVE . ELEGANTIA . EXORNAVIT
TVM . CONGRVIS . REDITIBVS
AD . SACRVM . QVOTIDIE . PERAGENDVM
AVXIT . ANNO . CIϽIϽCCLXVIII

Ibidem.

HYPOGAEVM . HOC . CONDITORIVM
ANTONIVS . MARIA . PESSETTI
MORTALITATIS . MEMOR
SIBI . SVIS . QVE . SE . VIVO . FECIT
EA . LEGE
NE . DE . NOMINE . AC . FAMILIA . EXEAT
VT . QVOS . VNA . IVNXIT . AFFINITAS
NEC . IPSA . MORS . DISTRAHERET

SISTE . PAVLLISPER . HOSPES
ET . REQVIETEM . PRECARE
HEIC . IN . PACE . QVIESCENTIBVS

f

XLII

Hydrunti in Regno Neapolitano

Supra portam Ecclesiae primariam.

DEO . OPTIMO . MAXIMO

OB . RESTITVTOS . SIBI

PATRONOS . CONCIVES . FELICITATIS . VINDICES

HYDRVNTINOS . MARTYRES

ORDO . POPVLVS . QVE

TEMPORARIAM . APPARATIONEM

ET . QVIDQVID . AD . EAM

LVBENS . MERITO . INDICIT

RESISTE . QVISQVIS . ES . CIVIS . HOSPES . VE

AC . REDVCES . IN . PATRIAM . MARTYRES

RITE . PRECATOR

VT . PROVINCIAE . REGNI . QVE . BEATITATEM

DIVTISSIME . SERVENT



XLIII

Ad Ecclesiae fornices introrsum.

I.

PRO . SALVTE . ET . IMPERII . DIVTVRNITATE
FERDINANDI . IV . REGIS . CLEMENTISSIMI
PII . FELICIS . AVG
ET . CAROLINAE . AVSTRIACAE
PARILIS . SVAVITATIS . REGINAE
QVORVM . INCOLVMITATE
SICILIENSIVM . FELICITAS . CONTINETVR
VTEI . EOS . HYDRVNTINI . MARTYRES
SVPRA . VOTA . FORTVNENT
ORDO . POPVLVS . QVE . HYDRVNTINVS
NVMINI . MAIESTATI . QVE . EORVM . DEVOTISSIMVS
VOTORVM . SOLLEMNIA

II.

AT . VOS
PATRIORVM . MAXIMI . TVTELARIVM
QVANDOQVIDEM . DOMVM . AVGVSTAM
EXSPECTATA . TANDEM . INFANTVLA . SVAVISSIMA
AVXISTIS
VTEI . PORRO . IVVENTVTIS . PRINCIPEM
QVOD . VNVM . NEAPOLITANAE . FELICITATI . DEEST
QVANTOCIVS . COMMODETIS
CLEMENTER . ANNVITE

III.

SOSPITATORIBVS . SVIS
AC. PVBLICAE. FELICITATIS. CVSTODIBVS
VTEI . PESTEM . BELLVM . INCENDIA . FAMEM
ANNONAE . CARITATEM
CIVIVM . PRAESERTIM . DISCIDIA
HINC . AVERRVNCENT
VTEI. QVE . VNAM . FAVSTITATEM
PERPETVAM. HEIC. ESSE. VELINT
ORDINIS . POPVLI . QVE . HYDRVNTINI
VOTORVM. NVNCVPATIONES

IV.

CLEMENTI . XIV
PONTIFICI . VERE . MAXIMO
SVIS. VNICE. ANIMI . ORNAMENTIS
AD. SVMMVM. CATHOLICI. ORBIS. IMPERIVM
EVECTO
DOCTRINA . PRAESERTIM . AC . RELIGIONE
SAECVLIS. OMNIBVS. INVIDENDO
QVOD. PATRONOS. BENEMERENTISSIMOS
SVO. SIBI. DE. SINV
ABSTRAHI. NON. PERMISERIT
SALENTINAE. GENTES. BENEFACTI. MEMORES
FAVSTA. OMNIA. DESVPER. ADPRECANTVR

V.

QVI . OMNIVM . VOTIS
SIVE . PVBBLICA . SIVE . PRIVATA . IN . RE
BONI . SEMPER . ADFVERVNT
ET . OMNIVM . GRATES
PVRA . MENTE . HABEANT
AC . NE . PORRO . VMQVAM . DESINT
SOLLICITAS . OMNIVM . PRECES
LVBENTER . EXCIPIANT

VI.

HEIC . IN . PACE . QVIESCVNT
HYDRVNTINI . MARTYRES . FERME . SEPTINGENTI
QVI . PATRIA . AB . THRACIBVS . EXPVGNATA
ANNO . CIↃCCCCLXXX
VICTI . VICTOREM . IPSVM . DOMVERVNT
QVOS . NEC . BLANDIENTIS . ILLECEBRAE
NEC . INSVLTANTIS . MINAE . DETVRBARVNT
QVIN . PRO . CHRISTO
LVBENTER . OBTRVNCARENTVR
DE . QVORVM . VETVSTISSIMO . CVLTV
CVM . IMMERITO . DVBITARI . COEPISSET
APOSTOLICA . CLEMENTIS . XIV . AVCTORITAS
EOS . HYDRVNTINIS . SVIS . RESTITVIT
IO . LAETAMINI . CIVES
VESTRI . ITERVM . SVNT . MARTYRES . HYDRVNTINI

VII.

HYDRVNTINOS. MARTYRES
AD. QVOS. NEMO. ADHVC. ACCESSIT
QVIN. VOTI. COMPOS. ABIRET
VTEI. EAM. PROVINCIAE. VBERTATEM
REI. PRAESERTIM. OLEARIAE. COPIAM
QVOTANNIS. CONCILIENT
QVA. VEL. IPSAM. COLONORVM. SPEM
FACILE. EXCEDANT
MESSAPII. CALABRI. IAPYGES. SALENTINI
VNO. ANIMO. OBTESTANTVR

VII.

FERDINANDO. IV. SICILIENSIVM. REGI
PIO. FEL. AVG. PAT. PATRIAE
QVOD. FERDINANDI. I. ARAGONVM. REGIS
PIETATEM. ERGA. HYDRVNTINOS. MARTYRES
AEMVLATVS
VETVSTISSIMVM. EORVMDEM. CVLTVM
HEIC. RESTITVI. AC. PROPAGARI. CVRAVERIT
ORDO. POPVLVS. QVE. HYDRVNTINVS
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATI. QVE. EIVS
TITVLVM. GRATI. ANIMI. TESTEM. P
ANNO. CIↃIↃCCLXXII. REGNI. EIVS. XIII

XLVII

Martorani in regno Neapolitano.

SISTE . PARVMPER. HOSPES.
CONDITORIVM . QVOD. VIDES . V. I. D. LEOPOLDVS. MEDICI
GATTI . DOMO. MARTORANO . MORTALITATIS . MEMOR . SIBI
SVIS. QVE . POSTERIS. QVE. EORVM. VIVVS. FECIT . IBI.QVE
FRANCISCI . ANTONII . GATTI . AVI . MATERNI . ANTIQVAE
FIDEI . HOMINIS . AC . DE . SE . OPTIME . MERITI . CINERES
REPONENDAS . CVRAVIT . NE . QVOS . AMOR . IVNXIT . VIVOS
VEL. IPSA. IMPORTVNA. HEV. MORS. DISTRAHERET
HOC . SCIRE. TE. VOLEBAM . NVNC . ABI . ET. VALE

Neapoli ad aedem D. Laurentii pro Theologorum Collegio.

DEO. OPTIMO . MAXIMO
AC . PATRIIS. TVTELARIBVS
QVOD . TEMPORVM . FELICITATEM
REGIA . TANDEM . PROLE . CONFIRMARINT
NEAPOLITANVM
SACRAE . THEOLOGIAE . CONLEGIVM
IN . TVTELA. FIDE. QVE . REGIA. CONSTITVTVM
SOLLEMNES
GRATI . ANIMI . SIGNIFICATIONES
MORE. MAIORVM



XLVIII.

Neapoli.

HEIC. IN. PACE. DORMIT
ANTONIVS. LEVZZIVS. DOMO. TRIPOLI
ANNORVM. SEX. PVERVLVS. SVAVISSIMVS
QVI. CVM. PAVCIS. NATVS. MENSIBVS
E. LIBERO. SERVVS. EVASISSET
TANTIS. PORRO. INGENII. MORVM. QVE. SVAVITATIBVS
SVPRA. AETATVLAM. CIRCVMFLVXIT
VT. A. DOMINO. INDVLGENTISSIMO
MANVMITTI. ET. IN. FILIVM. ADOPTARI
RARISSIMO. EXEMPLO. MERVERIT.
CVIVS. SVPERSTITES. EXVVIAS
HEIC. COLLOCARI. VOLVIT
VT. IN. QVO. TEMPLO. QVATVOR. ABHINC. ANNIS
BAPTISMA. ACCEPIT
IBI. ET. RESVRRECTIONEM. EXSPECTARET
DEPOSITVS. X. KAL. IVLIAS. CIƆIƆCCLXXII
HVIC
CAROLVS. LEVZZIVS. ET. MARIA. CONTARENA
SVMMAE. NOBILITATIS. COMPARES. CONCORDISSIMI
LIBERTO. AC. FILIO. DESIDERANTISSIMO
CONTRA. VOTVM

XLIX

Temporarii Curiae Portuensis Neapolitanae tituli in sollemni D. Ianuarii supplicationum pompa

Supra portam forinsecus.

D. O. M

ET. DIVO. IANVARIO

VRBIS. ET. PROVINCIARVM. SOSPITATORI. PRAESENTISSIMO

PRO. SALVTE. ET. IMPERII. DIVTVRNITATE

OPTIMI. PRINCIPIS. FERDINANDI. IV. REGIS. NOSTRI

PII. FELICIS. AVG

PRO. QVE. STATV. AETERNO. REIPVBLICAE. NEAPOLITANAE

CVRIA. PORTVENSIS

VOTA. SEXENNALIA

NVNCVPAT. MORE. MAIORVM. MVLTIS. DECENNIIS

QVISQVIS. ADES

PATRONVM. INDVLGENTISSIMVM. RITE. COMPRECATOR

VT. CVM. REGE. SVAVISSIMO

COMMVNEM. VTRIVSQVE. REGNI. BEATITATEM

DIVTISSIME. SERVET

L

Intra Curiae porticum.

I.

TVTELA. NOSTRI. O. DIVE. FERNANDVM. POLO
DEMISSVM. AB. ALTO. REGNI. IN. HVIVS. COMMODVM
TIBI. QVE. CREDITVM. ANNIS. SEMPER. INTEGRIS
INCOLVMEM. NOBIS. SERVES. DEIN. AC. SOSPITEM
ET. QVAE. RENIDENT. IPSO. IN. AEVI. FLOSCVLO
PIETAS. PVDOR. QVE. ET. ATTICAE. ELEGANTIAE
COEPTAE. A. PARVO. CVM. AETATE. SVCCRESCANT. SIMVL
QVEIS. VRBS. SVPERBA. STELLIS. INSERAT. CAPVT

II.

AT. TV. SVPREMI. CRVOR. INTERPRES. NVMINIS
STATIM. LIQVESCENS. HEIC. E. REGIONE. SANGVINIS
ET. CIVIVM. OMEN. FIRMES. VOTA. ET. EXPLEAS
QVEIS. VSQVE. CANDIDI. PORRO. NITEANT. DIES
HINC. CVRA. TRISTIS. PALLENS. MORBVS. AC. TIMOR
GRAVES. ET. IRAE. ABACTAE. PROCVL. AVFVGIANT
ET. PRINCIPEM. VRBEM. AC. CETERAS. PROVINCIAS
SOLVM. PERERRET. AVSPICATA. FAVSTITAS

LI

Temporarii Curiae Portae novae Neapolitanae tituli

Supra portam extrorsum.

DIVO. IANVARIO. MARTYRI
QVOD
INTER. EFFVSE. AD. ARMA. RVENTEM. EVROPAM
OTIOSAE. NEAPOLI
DVLCEM. TRANQVILLITATEM
ET. ARTES. PACIS. ALVMNAS. COMPARAVERIT
CVRIA. PORTAE. NOVAE
PATRONO. DE. SE. BENEMERENTISSIMO
SOLLEMNES. GRATI. ANIMI. SIGNIFICATIONES
MORE. MAIORVM

In curia introrsum.

QVANDO. HIC. AMORES. SPIRANT. ADHVC. CAROLI
AMALIAE. QVE. DIVE. O. PRAESENTISSIME
QVEIS. HISCE. RISIT. CIVIBVS. BEATITAS
NOSTRIS. DEINCEPS. NE. QVID. DESIT. COMMODIS
AVT. OCCIDENTE. GELIDIS. AVT. TRIONIBVS
TECVM. HVC. REPORTES. COMPAREM. LECTISSIMAM
QVACVM. BEATOS. AGAT. FERNANDVS. DIES
VRBI. QVE. ET. ORBI. POSTHAC. IVCVNDISSIMOS
REGES. DATVRVS. REGVM. ET. IPSE. SVRCVLVS

LII

Temporarii Portuensis Curiae Neapolitanae tituli

Supra portam Curiae primariam forinsecus .

DIVO . IANVARIO

PVBLICAE. FELICITATIS. CVSTODI. VIGILANTISSIMO

VTI . OPTIMOS. PRINCIPES

FERDINANDVM . IV. AC . MARIAM . CAROLINAM

P. P. F. F. AVGG

INCOLVMES. BEATOS. QVE. ESSE. VELIT

VTI. QVE. CONCIVIBVS. SVIS

VOLENS. PROPITIVS. DEXTER . ADSIT

CVRIA. PORTVS

ARAM. TEMPORARIAM. CVM. ORNAMENTIS

AC. SOLLEMNES. VERTENTIS. SEXENNII. SVPPLICATIONES

M . M



LIII

Intra curiae porticum.

I.

O. CIVES. CIVES. FAVSTVS. IAM. VESPER. ADEST
IAM. POMPA. PRODIT. QVISQVE. LINGVIS. FAVEAT
ABSINT. PROFANI. TVM. QVI. PVRVS. EST. SCELERIS
SOLLICITA. PATRONVM. FATIGET. PRECE
TVIS. O. DIVE. LAETVS. INTERSIS. CIVIBVS
AMES. QVE. DICI; PATER. VT. TE. VINDICE
SEV. TRISTIS. IMBER. SAEVIAT. SEV. VESVIVS
VSQVE. OTIOSA. RIDEAT. NEAPOLIS

II.

AT. O. QVERELIS. SIREN. SIT. FINIS. AVT. MODVS
TVVS. ILLE. CIVIS. ILLE. IANVARIVS
QVI. FERDINANDO. COMPAREM. SVAVISSIMAM
ADDVXIT. TVIS. NE. QVID. DESIT. COMMODIS
VATE. ME. IVVENTVTIS. IAM. IAM. PRINCIPEM
LONGO. QVE. NATOS. POLLICETVR. ORDINE
AC. NE. ME. VANVM. PRAEDICES. ARVSPICEM
EN. FIRMAT. OMEN. REDIVIVO. IN. SANGVINE



LIV

Neapoli in tumulo Severi Carmignani.

HEIC . IACENT. OSSA

SEVERI . CARMIGNANI . PATRICII . NEAPOLITANI

ANTIQVAE . FIDEI. HOMINIS

QVI . SICVTI . CVM. VXORE. CONCORDISSIMA

IN . LIBERIS . EDVCANDIS

SPARTANAM . DILIGENTIAM . VICIT

ITA. SACRIS. INITIATVS

PRIMOS. CHRISTIANORVM. MORES. EXPRESSIT

AD . HAEC. RATVS. NON . SIBI . SED. MVSIS. NATVM

EXIMIAM . LIBRORVM . SVPELLECTILEM

SIBI . ET . AMICIS . AERE. SVO. COMPARAVIT

VIXIT. AN . . . . MENS . . . . . . DIES . . . . . HORAS . . . :

HVIC. OMNIVM. LACRVMIS. ELATO

N. CARMIGNANVS. FRATER . AMANTISSIMVS

QVI. CVM . EO. AD. DIEM. MORTIS. VNO. ANIMO. EGIT

QVOD. VNVM. REMANET. PIETATIS. OFFICIVM

TITVLVM. HVNC . PONENDVM . CVRAVIT

ANNO. CIϽIϽCCLXV

LV

Neapoli in aede Fagoniorum familiae.

I.

NERONIS . CLAVDII . CAESARIS . SIGNVM
QVOD. DIV. LVCI. SE. SVRRIPIENS
INTER . SORDIDIORES . DOMVS . RECESSVS
VELVTI . DE . INDVSTRIA
PVDIBVNDVM. CAPVT. OCCVLVERAT
QVASI . INDIGNARETVR
CRVDELISSIMVM . PRINCIPEM . EXHIBERE
IOSEPHVS . FAGONIVS
AEQVVS. ANTIQVARIAE . REI. AESTIMATOR
DETERSO. SQVALORE
HEIC. IN. PROPATVLO. POSVIT
ANNO . CIƆIƆCCLXIII

II.

NON. VLTIMVM. HOC
VENERANDAE. ANTIQVITATIS. MONVMENTVM
QVOD. LONGA. TEMPORIS. INTERCAPEDINE
SITV. OBSITVM. SVBSEDERAT
IOSEPHVS. FAGONIVS
QVANTIVIS . PRETII . CIMELIVM
DIVTIVS . DELITESCERE . NON . PASSVS
PVRGATIS . SORDIBVS
AB. INFIMA. INTERIORIS . DOMVS . PARTE
IN. EDITIORE. QVO. PAR. ERAT. LOCO
CONLOCANDVM. CVRAVIT
ANNO. CIƆIƆCCLXIII

LVI

Neapoli ad aedem D. Francisci a Paula.

CAIETANO . BRANCIFORTIO
EX . BVTERAE . PRINCIPIBVS
LEPIDISSIMAE . ANIMVLAE
LEPORES . ET . ELEGANTIAE
PAREM . HAVD . INVENTVRAE
COLVMBARIVM
CVM . LACRVMIS . POSVERVNT
VIX . MENS. . . . DIES. . . . HOR. . . . SCRVP. . . .
OBIIT . XV . KAL. SEXT. CIƆIƆCCLXXI

Ibidem.

CAIETANO . BRANCINFORTIO
SEPTEM . VIX . MENSIVM
ANIMVLAE . DVLCISSIMAE
SALVATOR . BVTERAE . PRINCEPS
INVERSO . HEV . MORTALITATIS . ORDINE
PATER . FILIOLO . CONTRA . VOTVM . P
KAL . SEXT . CIƆIƆCCLXXI
EIVS . QVE . CINERES . CVM . IOANNA
SORORE . ANNICVLA . SVAVISSIMA
TRIBVS . ABHINC . ANNIS . QVIESCENTE
HEIC . COLLOCARI . IVSSIT
VT . QVI . VNA . IMMORTALI . GLORIA
SIMVL . IN . COELIS . FRVVNTVR
VNO . ETIAM . IN . COLVMBARIO
IN . TERRIS . CONQVIESCANT

FRANCISCO. COMITI. MARESCALCHIO
POETAE. ELEGANTISSIMO
OB. ITALICVM. DE. CAESARE. AD. RVBICONEM
PINDARICAE. MAIESTATIS. EPIGRAMMA
GRATIAS. QVAS. POTEST. MAXIMAS
AC. TENVES. CONTRA. HENDECASYLLABOS
CAIETANVS. MIGLIORE
ΑΝΤΙΔΩΡΟΝ. ΧΑΛΚΕΙΑ. ΧΡΥΣΕΩΝ

De lepidissimo comitis Francisci Marescalchii catulo, quem ille vespertinis horis ad Emū Legatum secum ducere solet.
Ad eumdem comitem Marescalchium.

PHoebi deliciae, ac novem sororum,
Francisce, o pater elegantiarum,
Quis non perdite amet tuum catellum,
Quem nostrum ad dominum, occidente sole,
Tecum ducere saepe consuesti?
Quis magis lepidas suavitates,
Aut vidit veneres suaviores?
Agnoscit dominum bonus catellus,
Moraeque impatiens modo huc modo illuc
Assultans trepidat venire in ulnas;
Sedensque in gremio tot ille suaves
Facit blanditias, facetiasque,
Quot nec ipsa Venus, Cupidinesque,
Seu quid blandius est, venustiusque.

h

Nam si crustula, et elegantiores,
Vt solet, dominus bolos ministret,
Reddens mutua per jocum, salesque,
Blandus, suaviolus, bonus catellus
Labro labiolum admovet minutum,
Vt non sit catulo satis superque
Centies dominum suaviari,
Dein atque iterum deosculari.
Quis magis lepidas suavitates,
Quis vidit veneres suaviores?
Nunc circum saliens caput, latusque,
Atque os, atque oculos, genasque lambens,
Facit quidquid ei lubet jocari.
Nunc et pectus, et imulam oricillam,
Ac breves humeros, nivesque colli
Admordet leviterque, leniterque;
Blandulam interea rotunda utramque
Mento manciolam applicans, ut ipsae
Riderent veneres, Cupidinesque.
Quis magis lepidas suavitates,
Aut vidit veneres suaviores?
Saepe et in domini sinu recumbens,
In se uno teres, ac rotundus omnis,
Fraudulenta oculos tegit quiete;
Bimulusque velut tener puellus
Matris in tremula quiescit ulna;
Sic et in domini sinu catellus
Lassulum leviter caput reflectens

Facit delicias beatiores;
Anhelasque trahens frequenter auras,
Gaudet suaviolo dein tepore
Frigidam domini fovere dextram.
Quis magis lepidas suavitates,
Quis vidit veneres suaviores?
At si forte oculos levans, caputque
Alterum in speculo videt catellum
Et ipsum in Domini sinu sedere
Summae participem benignitatis,
Surgit illico, et irretorto ocello
Alteri similem invidens favorem,
Pilos lucidulos, comamque crispans,
Iam non suavis, ut ante, blandulusque,
Non dulcis, lepidus, bonus catellus,
Verum turgidulo inquietus ore
Hac illac oculos jacit rubentes,
Ac dente oppositum vitro catellum
Vexat insolito furens susurru,
Qualis gutture Cerberus trifauci.
Quis ergo lepidum, venustulumque
Quis non perdite amet tuum catellum,
Francisce, o pater elegantiarum,
Phoebi deliciae, ac novem sororum?



MARCO . RASPIO
ANTIQVAE . FIDEI . HOMINI
QVI . NON . SIBI . SED . AMICIS . NATVS
OMNES . AMAVIT . NEMINEM . LAESIT
QVOS . POTVIT . IVVIT
HOC . DE . FILII . NVPTIIS . DOMI . NATVM
SVBSECIVIS . HORIS . EPITHALAMIVM
CAIETANVS . MIGLIORE
CANDIDAM . AMICITIAE . TESSERAM
AMICO . INCOMPARABILI . AC . SVAVISSIMO

In Nuptiis Cajetani Raspii, et Iucundae ex Comitibus Pellegrinae.

NVper Eridani sedens ad undas :
Tune, dixit Amor, bone o Nelinte,
Omnium charitum, ac leporum ocelle,
Referte omnium et elegantiarum,
Me impune unius aestimabis assis;
Cum ultimus mihi serviat Britannus,
Et quisquis colit Indiamve tostam,
Alpesve, aut Lybiam siticulosam,
Seu quid durius est, severiusque?
At non hercle mihi inde sic abibis.
Nec mora, immiserabilis trecentis
Ter quater juvenem obruit sagittis.
Sed qui illum unius aestimabat assis,
Reflectens leviter caput, trecentis
Sinum surripuit catus sagittis;

Despectansque oculo irretorto Amorem;
Mille millibus excipit cachinnis.
O factum male! o miselle pupe!
Quis te non faciat pili deinceps,
Cum sciat tua nil valere tela?
O factum male! pupule o miselle!
Lentus interea Cupidini ignis
Exedit magis ac magis medullam,
Vltro et lacrymulae effluunt ocellis.
Cumque ambas rubeus genas repente
Irrepat color insolens minutas,
Lacteis rubicundulas utrasque
Tegit manciolis genas pudenter.
Tum, me Iupiter, inquit, ac Dii omnes
Oderint, nisi perdite Nelintum
Totos inde dies amare cogam.
It redit trepidans modo huc modo illuc,
Vicosque indomitus vorat, viasque;
Donec per mediam Lycoris urbem
Forte illi obvia venit integella,
Blandula o nimis, ac nimis venusta,
Qua nec Gratiolae, Cupidinesque,
Nec mellita Venus suaviorem
Mater fingeret elegantiarum:
Hanc secum comitem venire jussit.
Sed et callidulus novas ut artes
Subdole instrueret, genis venustas
Abdidit veneres, cupidinesque,

Blandas abdidit elegantiasque :
Ad haec ore , labellulisque cunctos
Lepores , charites , suavitates ,
Atticosque sales , facetiasque .
At in blandidulis puellae ocellis
Furtim subdidit ipse , pupulisque .
O factum bene ! o Amor beate .
Nam vix suaviolam videt Lycorim ,
Omnibus puer illico medullis
Sentit immedicabilem sagittam :
Mutat tristia mitibus , suoque
Victorem gremio excipit libenter .
O factum bene ! o Amor beate !
At tibi bene sit , bona o Lycoris ,
Tua namque opera meus Nelintus ,
Qui Amorem unius aestimabat assis ,
Nunc isti domino vel ipse servit ,
Servietque alios dein per annos .
O factum bene ! o Amor beate !



LXIII

LAVRENTIO. FVSCONIO
POETAE . ORATORI . PHILOSOPHO . THEOLOGO
MORVM. SVAVITATE. INCOMPARABILI
QVOS . ILLE. VERSVS
DE. VIRGINE. CLAVSTRVM . INGRESSA
AB. AMICO. QVASI. AQVAM. E. PVMICE
IN. IPSO . FORI . AESTV. EXPRESSIT
CAIETANVS. MIGLIORE
SVAE . ERGA . ILLVM . VOLVNTATIS . TESTES
D. D. D. L. L. M

Nicem vidit Amor puellularum
Inter agmina multa, ut inter ignes
Micat candida luna, quum tacet nox;
Subdolisque jocis, facetiisque
Vultum Nymphae imitatus elegantis:
Mea o lacteola, inquit, alma virgo,
Male est, crede mihi, et laboriose
Totos usque dies puellularum
Flosculum in gremio jacere matris;
Sed tristes animi levare curas,
Et solatiolum decet laborum
Post pensum capere, occidente sole.
Nec longe hinc vaga villula ad Favoni
Flatus opposita est suaviores,
Qua nil laetius est, beatiusque.
Nam veris comites siticulosam
Æstatem hinc prohibent, et usque amicae

Temperant animae suaviores.
Huc dum fila trium sinunt sororum;
Ac dum res patitur, tenella et aetas;
Huc mecnm venias deambulatum.
At at callidula hîc caput reflectens,
Haerensque ad latus: en eamus, inquit,
Quocumque ire velis, comes parata.
Novas insidias sed instruentem
Novis pupula et artibus fefellit.
Dumque iter peragit modo huc modo illuc
Voti compos Amor sibi usque plaudens,
Se in vicina Nice repente claustra,
Quo nullis aditus patet profanis,
Victrix propositi abdidit triumphans;
Et dulces comitum valere coetus
Iubens, callidulum dein Amorem
Impune omnibus excipit cachinnis
Quotquot sunt lepidis, nec invenustis.
O factum bene! o Amor miselle!
I nunc, si potes, et sacris silentIs
Aude ferre pedes, Amor, profanos.
Frangas immo, puer, male ominato
Quae geris latere ustulanda tela,
Frangas et jaculis gravem pharetram.
O factum bene! o Amor miselle!



LXV

Neapoli ad aedem D. Birgittae tituli temporarii.

I.

VIRGINI. DEIPARAE
AB. ORIGINIS. LABE. IMMVNI
IX. REGII. ITALICI. LEGIO
PATRONAE. SVAE. BENEMERENTISSIMAE
PRO. ANTEACTA. FELICITATE. GRATES
PRO. FVTVRA
SOLLEMNES. VERTENTIS. ANNI. SVPPLICATIONES

II.

FERDINANDI. IV. SICILIENSIVM. REGIS
N. M. Q. DEVOTISSIMVS
FABRICIVS. RVFFVS
EQVES. HIEROSOLYMITANVS
TRIBVNVS. MILITVM. IX. LEGIONIS. REGII. ITALICI
LEGATVM. SVVM
CENTVRIONES. SVCCENTVRIONES. QVE
SIGNIFEROS. DECANOS. AENEATORES
RELIQVOS. MANIPVLARES
IPSOS. DENIQVE. MISSOS. CAVSSARIA. MISSIONE
VIRGINIS. CLIENTELAE. TOTOS. PERMITTIT
RATVS
NVMQVAM. MILITEM. REGI. SVO. FIDELEM
NISI. ET. DEO. AMICVM

III.

FIDELISSIMA. PRINCIPI. LEGIO
VT. VICTRIX. SEMPER. AVDIAT
EIVS. SE. AVSPICIIS
MERITO. TVETVR
QVAE. AD. HVMANAE. LVCIS. VSVRAM
HOSTES. VINCENS. EVASIT

IV.

DEIPARAE
TVTELAE. SVAE. INDVLGENTISSIMAE
QVAE. IMPEDITISSIMIS. TEMPORIBVS
PRECE. FATIGATA
LEGIONIS. DESIDERIA. NON. AEQVAVIT. MODO
SED. SPEM. FACILE. SVPERANS
VOTIS. SEMPER. DAMNAVIT
VT. EODEM. PRAESENTISSIMO. NVMINE
LEGIO. SEMPER. VTATVR
VOTORVM. SOLLEMNIA

Ibidem.

I.

PRO. SPE. ET. SECVRITATE. AETERNA
OMNIVM. RETRO. MILITVM
IX. LEGIONIS. REGII. ITALICI
ANNIVERSARIA
FVNEBRIVM. OFFICIORVM. IVSTA





II.

AETERNVM. SALVETE. ANIMAE. SVAVISSIMAE

ATQVE. INCOMPARABILES

HAVD. VLLI. AEQVIVS. EST. VMQVAM. PARENTATVM

QVAM. VOBIS. COMMANIPVLARES

DE. QVIBVS. NVLLAE. PRAETER. MORTEM. QVERELAE

ITERVM. AVETE. ATQVE. VALETE

III.

SACRIS. PIACVLARIBVS. IS. VNVS. ABESTO

AC. PRECES. SVRSVM. NE. FVNDITO

QVI. DE. MORTE. SECVRVS

OTIOSE. VITAM. AGERE. VALET

IV.

DVM. FESTINANTER. ADEO. HVMANI. RVVNT. DIES

NE. PIGEAT. MORTALIS

SVPREMO. HOC. PIETATIS. OFFICIO

MORTIS. INSIDIIS. OCCVRRERE



LXVIII

Neapoli.

ANTONIO. GENVENSI
DOMO. CASTILIONE. IN. PICENTINIS
QVI. INGENIO. AD. OMNIA. VERSATILI
PENITIORES. SCIENTIARVM. OMNIVM. LATEBRAS
AD. HAEC. VETERES. RECENTIORES.QVE. LINGVAS
TAM. INTIME. PERMEAVIT
QVANTVM. EGREGIA. EDITORVM. VOLVMINVM. SVPELLEX
SATIS. ARGVIT
VBERRIMO. PRAESERTIM. ELOQVENTIAE. FAMVLATV
AC. CETERIS. QVOTQVOT. SVNT. ANIMI. SVAVITATIBVS
REGIBVS. IPSIS. CARO
FERDINANDVS. LEONIVS. VIIIVIR. REGALIS. PATRIMONII
HERES. FIDVCIARIVS
NONNVLLI. QVE. CIVES. MEMORIAE. EIVS. STVDIOSISSIMI
AMICO. VERE. OPTIMO
VLTIMAM. HANC. QVOD. VNVM. POTERANT
AMICITIAE. TESSERAM
TITVLVM. AERE. COLLATO. PONENDVM. CVRARVNT
VIXIT. ANNOS. LVI. DIES. XXI. MENSES. X
REI. LITTERARIAE. VOTIS. HEV. PARVM. NIMIS
DEPOSITVS. X. KAL. OCT. CIϽIϽCCLIX



LXIX

Brundusii in Lucania.

HEIC. IN. PACE. QVIESCVNT
LAVRENTII. MARTYRIS
VIX. TREDECIM. ANNORVM. PVERVLI
OSSA. SIC. FERME. INTEGRA
VT. SVIS. QVAEQVE. REPOSITA. LOCIS
IN. PRISTINAM. CORPORIS. COMPAGEM
PLANE. COALESCERENT
QVAE. E. COEMETERIO. S. HELENAE
AB. APPOSITO. TITVLO
CETERIS. QVE. MARTYRII. INDICIIS. RITE. EXTRACTA
AC. SVPERIORIBVS. ANNIS. NEAPOLIM. DELATA
MARIA. ANTONIA. GOYZVETA
BRVNDVSII. IN. LVCANIA. DVX
ET. MARCHIONIS. IOANNIS. ASSENTII
FERDINANDO. REGI. A. SECRETIS
FILIA. SVAVISSIMA
BRVNDVSIVM. E. PATERNIS. LARIBVS
AERE. SVO. TRANSFERENDA. CVRAVIT
THECA. QVE. ELEGANTIVS. INSTRVCTA
SVBDITARVM. SIBI. GENTIVM
OCVLIS. AC. VENERATIONI. EXPOSVIT
ANNO. CIↃIↃCCLXXII



LXX

Neapoli in suprema Regiae Camerae Curia.

QVOD. FERDINANDVS. IV
VTRIVSQVE. SICILIAE. REX
PIVS. FELIX. SEMPER. AVGVSTVS
AD. AETERNITATEM. NEAPOLITANI. NOMINIS
VERE. NATVS
IN. SVPREMA. HAC
REGII. AERARII. CVRIA
VRBIS. AC. PROVINCIARVM. FELICITATI
REI. PRAESERTIM. ANNONARIAE
VLTRA. OMNIVM. VOTA. PROSPICIAT
IPSAM. QVE. ADEO. CVRIAM
OMNI. CVLTV. EXORNANDAM. IVSSERIT
VTI. TEMPORVM. BEATITATI
VEL. LOCI. RESPONDERET. ELEGANTIA
MARCHIO. ANGELVS. CAVALCANTI
AERARII. QVAESTORIBVS. VICE. SACRA. PRAEFECTVS
AC. REGALIS. PATRIMONII. XIIVIRI
PRINCIPI. INDVLGENTISSIMO
AC. DE. SE. OPTIME. MERITO
TITVLVM. GRATI. ANIMI. TESTEM
POSVERVNT. D. N. M. Q. E
ANNO. CIↃIↃCCLXX





LXXI

Neapoli.

SACELLVM. QVOD. CERNIS. ET. CONDITORIVM

ANNA. MARIA. DE. VRSO. ALBANELLAE. DOMINA

MORTALITATIS. MEMOR

VIVENS. AERE. SVO. COMPARAVIT. ANNO. CIϽIϽCCLXIV

ET. IN. EO. IOSEPHI. MVSCATI

PATRICII. SALERNITANI

VVLTVRALIS. ET. OLEVANI. OLIM. DYNASTAE

NVNC. POPPANI. MARCHIONIS

FILII. SVI. DESIDERANTISSIMI

POST. FVNVS. CINERES. CONLOCARI. IVSSIT

NE. QVOS. EADEM. VOLVNTATVM. CONSPIRATIO

IVNXIT. VIVOS

IPSA. HEV. IMPORTVNA. MORS. DISTRAHAT

ID. QVE. SEPVLCHRVM. VT. IN. PERPETVVM

VNIVERSIS. E. MVSCATORVM. FAMILIA. PATEAT

CAVTVM. VOLVIT

ALIOS. HVC. INFERRE. NE. LICETO

LXXII

E regione Diatribae Alexii Simmachi Mazochii in Auctoris Bibliotheca.

DOMINICO . VENVTO

DOMO . CORTONA

FERDINANDI . IV . CIS . AC . TRANS . PHARVM

SICILIAE . REGIS . EPHEBO

EGREGIIS . ANIMI . SVAVITATIBVS . CIRCVMFLVENTI

INGENIO . VERO . AD . OMNIA . VERSATILI

CAIETANVS . MIGLIORE

IN . EODEM . REGIO . EPHEBEO

LATINARVM . GRAECARVM . QVE . LITTERARVM . PROFESSOR

QVOD . CORTONENSES . HASCE . MAZOCHII . DIATRIBAS

DONO . AB . EO . ACCEPERIT

GRATES . PRO . EO . AC . PAR . EST . DICIT

AC . NE . FACTI . MEMORIA . PORRO . EXCIDAT

NOMEN . HEIC . PON . CVR

VII . KAL . DEC . CIƆIƆCCLXII



FORTVNATAE. SVLGHER. FANTASTICI
ETRVSCAE. NOSTRAE. AETATIS. SAPPHO
OMNIVM. SVAVITATVM. FLOSCVLO. ELEGANTISSIMO
CVIVS. EXTEMPORALEM
IN. FINGENDIS. VERSIBVS. VENAM
IPSE. INVIDERET. DECIES. CASTIGATVS
LIMAE. LABOR. ET. MORA
QVOD. EIVS. EPIGRAMMATA
AD. ANACREONTICAS. VENERES. CONFORMATA. SIBI. DONO. MISERIT
CAIETANVS. MIGLIORE
LATINOS. HOSCE. VERSICVLOS
QVI. AMICIS. PRO. RE. NATA. EFFLAGITANTIBVS
E. CALAMO. CONTRA. VOTVM. EXCIDERVNT
FEMINAE. LATINARVM. GRAECARVM. QVE. LITTERARVM
RARISSIMO. EXEMPLO. ERVDITISSIMAE
IN. GRATI. OBSEQVENTIS. QVE. ANIMI. TESTIMONIVM
LIBENS. LVBENS. MERITO

I.

De Marii Soranzii a Saloi praefectura in patriam reditu.

DUm patrios adire maturat lares
Ripas Benaci deserens Soranzius,
Regina forte Adriaci occurrit littoris,
Torvoque reducem despectans supercilio:
Cur, dixit, auspicata si Beatitas
Tecum hinc profecta lateri se addidit tuo,
Gentes beare posses ut concreditas,
Cur ipsa tecum fida non redit comes?
An Diva coelum repetens, unde venerat,

11

Tui ultra habenas dedignata est imperi?
An immerentes illa Saloi accolas
Beatiore permutavit omine?
Atqui reponens placido vultu Marius:
Immo, inquit, illuc mediis in gentibus
Inducta nuper, me sequestre, ac vindice,
Immota sedem sic posuit Felicitas,
Pedem irretortum ut nequeat refigere.
Meae interim pertaesa solitudinis
Vltro mihi se comitem praebet Gloria:
Sic dum relicta est illic alma Faustitas,
Contra inde amicam retuli mecum Gloriam,
Quacum paternos rursus ingredior lares,
Fatique victor, funerisque nescius,
Dein laude crescam florens usque postera.

II.

De Deipara sine labe concepta pro Neapolitana Alethina Colonia.

O Rem perlepidam, o nimis venustam!
Ille anguis maculosus, anguis ille,
Qui nostros pede ter quater superbo
Vsque turgidus ambulabat agros,
Quod cunctis miseram necem parasset,
Ruinasque graves, dolos veneni,
Et casus alios periculorum,
Nunc blandae nimis ac nimis puellae
Plantis conteritur miser tenellis,

Totos dedecus ut dein per annos
Impressum sedeat, nec eluatur.
O rem perlepidam, o nimis venustam!
Nostra ergo tumidus per arva tanto
Posthac desinet ambulare fastu:
Et haud vulneris immemor recentis
Tacebit veteres dein triumphos.
At tu deliciae, leposque saecli,
O ter atque iterum, Puella, salve:
Tua namque opera anguis ille nostros
Fastu desiit ambulare campos:
O rem perlepidam, o nimis venustam!

III.

De Isidoro Antoniano domo Aquila, dum sacris initiaretur ordinibus.

HEsterna Tiberis die retorquens
Marrucina suos ad arva ocellos,
Vidit, quod tumidis Aternus undis
Ter quater sibi plauderet superbus;
Quippe blandulus Isidorus ille,
Quem facundo aluit sinu Minerva,
Et bonae Charites, facetiaeque,
Iam templa ingreditur novus Sacerdos.
Arsit Tibris in omnibus medullis,
Tactusque invidia magis magisque,
Priscos mente tenens adhuc triumphos,
Quando uni sibi serviebat orbis,

Parvo cedere nescit ipse Aterno.
Novas callidulus struens et artes
Statim caeruleas jubet sorores,
Vt solent, lepidas, et elegantes
Lanas excolere, illitis ut ostro
Persolvant lepidum Isidoro amictum.
O factum Tiberi bene, ac beate!
Nam vix perlepida, et nimis venusta
Fiet Purpura, parvulum Isidorus
Mutabit Tiberi dein Aternum,
Decus purpureo additum Senatu;
Nec posthac tumido Isidorum Aterno
Omnes invideat Tibris per annos.
O factum Tiberi bene, ac beate!

IV.

In obitu Ioannis Capycii Episcopi.

DUm modo exanimis bonus Ioannes
Effertur, Bonitas, Pudor, Venustas,
Casta Relligio, Decor, Fidesque,
Et quotquot teneris secutae ab annis
Blandulae Charites, facetiaeque,
Quaevis turgidulo rubens ocello,
Quaevis languidulos soluta crines,
Heu funus comitantur, atque curant.
Verum ubi cineres recepit urna,
Nec sperant similem invenire posthac,
Secum una caput abdidere busto

Blandula heu Bonitas, Pudor, Venustas,
Casta Relligio, Decor, Fidesque.
Quid hoc tristius, invenustiusque?
Quippe illo pereunte, heu decorae
Virtutes pereunt, facetiaeque.

V.

Optimo nostri temporis poëtae Camillo Zampierio Cajetanus Migliore.

DUm plenos salis, ac facetiarum
Quos misti hendecasyllabos, Camille,
Sicca pumice nuper expolibas,
Blandulae Charites, facetiaeque
Et ridens Venus, Attici et lepores,
Secura ut tegerent quiete ocellos,
Tuis in lepidis et hic et illic
Tenellum caput abdidere chartis.
Nunc si versiculos bonos, suaves,
Puros, Iupiter, et Catullianos
Quis percurrere amet, bone o Camille,
Spirant versiculi Atticos lepores,
Spirant et Charitas, facetiasque.
At vobis bene sit, boni o lepores,
Vestra namque opera meus Camillus
Dum sponsi negat utriusque laudes
Dicere posse pessimus poëta,
Tam Sponsi canit utriusque laudes;
Quam vel optimus omnium poëta.

LXXVIII

Neapoli.

DOMINICO. CATTANEO

SANNICANDRI. PRINCIPI

PATRICIO. GENVENSI. AC. NEAPOLITANO

CVM. SVMMIS. ITALIAE. FAMILIIS

CAIETANA. DE. CAPVA. AQVAVIVA. CARAFA

COGNATIONE. CONIVNCTISSIMO

DIVI. IANVARII. CINGVLO

ET. AVREI. VELLERIS. TORQVE. INSIGNITO

INTER. QVE. HISPANOS. PRIMORIS. ORDINIS

MAGNATES. ADLECTO

MORIBVS. AD. SEVERIORIS. ETHICES. PLACITA. CONFORMATIS.

IN. PRIMIS. VERO

COMITATE. PRVDENTIA. HVMANITATE

AD. MIRACVLVM. COMMENDATISSIMO

EFFVSA. DENIQVE. IN. PVBLICOS

PRIVATOS. QVE. PAVPERES. BENEFICENTIA

SVPRA. CETERAS. ANIMI. SVAVITATES. ILLVSTRI

QVEM. PER. SVMMOS. MVNERVM. AC. MAGISTRATVVM. GRADVS

PRAESERTIM. HISPANICAM. LEGATIONEM. PROBATISSIMVM

CAROLVS. III. AEQVVS. INGENIORVM. AESTIMATOR

IN. INTIMAM. CONSILIORVM. SVORVM. SOCIETATEM. ADSCIVIT
TVM. REGIAE. FAMILIAE. CVSTODEM. PRAEFECIT
AD. HAEC. IN. HISPANIAS. ABITVRVS
FERDINANDI. IV. REGIS. NOSTRI. P. F. A
PER. PVPILLAREM. AETATEM. A. REGNO. ABSTINENTIS
CVBICVLARIVM. EDVCATOREM. QVE
NECNON. DECEMVIRVM. SVMMO. IMPERIO
BONIS. OMNIBVS. PROBANTIBVS. RELIQVIT
A. QVO. NE. LATVM. VNGVEM. ABSCEDERET
SE. SIBI. SVIS. QVE. AC. DOMVI. SVRRIPIENS
IN. PRAETORIVM. SE. SE. RECEPIT
NVNC. EIDEM
HONORIBVS. GLORIA. QVE. ONVSTO
OPERAM. SVAM. REI. PVBLICAE. REGI. AC. DEO
PLENISSIME. COMPROBANTI
INTER. QVE. COMMVNES. OMNIVM. PLAVSVS
AD. PATRIOS. PENATES
TRIVMPHANTIS. IN. SPECIEM. REDVCI
S. P. Q. NEAPOLITANVS
HOC. GRATI. ANIMI. MONVMENTVM

LXXX

Neapoli.

QVISQVIS . ADES
PACEM. ADPRECATOR. SYLVIAE. DE. MARRA
FEMINAE
CVM. PRISCIS. IPSIS. COMPARANDAE
CVI . NON . TAM. FILIAE. DESOLATISSIMAE
QVAM . PIETAS . IPSA . RELIGIO
IN . LIBERIS. INSTITVENDIS . VIGILANTIA
LIBERALITAS. PRVDENTIA
ANIMI . IN. VTRAQVE. FORTVNA. AEQVABILITAS
AC . RELIQVAE . MORVM . SVAVITATES
PAREM. HEV. POSTHAC. NON. INVENTVRAE
PARENTANT
HAVE. ANIMA. INNOCENTISSIMA
ITERVM. HAVE. ET. SALVE

Romae.

MARCO. ANTONIO. COLVMNAE
GENERE . VIRTVTE. AC. PVRPVRA
VERE . EMINENTISSIMO
VRBIS. VICARIO
QVOD . CLEM . XIV . PONT . MAX
PIO. FEL. AVG. ANNVENTE
FONTEM . REGENERATIONIS
ELEGANTIA. QVANTA. MAXIMA
PEC . SVA . EXCITANDVM . CVRARIT
SACROSANCTA. SOCIETAS. SACERD. SAECVL
NE. FACTI. MEMORIA. EXCIDAT
PATRONO. LIBERALISSIMO
ANNO. CIƆIƆCCLXXIII. P

LXXXI

Publicae Disputationis in Abellinensi urbe habitae Dedicatio.

MARINO . CARACCIOLO . ABELLINATVM . PRINCIPI
ET
MARIAE. ANTONIAE. CARAFAE. CONIVGI. INCOMPARABILI
SICVTI . GENERIS. AMPLITVDINE . NVLLI . SECVNDIS
ITA. EGREGIIS. ANIMI. ORNAMENTIS
AD . MIRACVLVM . COMMENDATISSIMIS
AD. HAEC. PRVDENTIA. TANTA . ET. COMITATE
VT . SVBDITAE. GENTES
PARENTES. SEMPER. NVMQVAM. DOMINOS. SENSERINT
TVM. IN . FILIORVM . INSTITVTIONE
EA. CVRA. ET. VIGILANTIA
QVAE. VIRTVTVM . POTIVS. QVAM . OPVM . HEREDEM
ABELLINATES . SPERARE. IVBEAT
TANTO. DENIQVE. SVAVITATVM. PENORE. CIRCVMFLVENTIBVS
VT. SPECTATISSIMA. PER. ITALIAM. FAMILIA
PLVS. EIS. DEBEAT. QVAM. IPSI. FAMILIAE
SELECTAS. HASCE. EX. DEI. SCIENTIA. THESES
PATRONIS. INDVLGENTISSIMIS. IVRE. OPTIMO. DEBITAS
ALEXIVS. CATONIVS
ABELLINENSIS. CONLEGII . ALVMNVS
D. D. D. L. M

l

42

LXXXII

Neapoli.

DIVO . ANTONIO . PATAVINO
QVI . OMNIVM . DESIDERIA
NON . AEQVAVIT . MODO
SED . ET . MVLTIS . PARTIBVS . SEMPER . EXCESSIT
SODALITIVM . HOC
TVTELAE . SVAE . INDVLGENTISSIMAE
ANNIVERSARIA . VOTORVM . SOLLEMNIA
PRO . MORE . INDICIT

NON . PAVOR . AERVMNAE . AVT . PALLENS . TE . VINDICE . MORBVS
ANTONI . AT . RIDENS . HVC . SVBIT . VNA . SALVS

Romae.

QVIETI . AETERNAE
ANNAE . MARIAE . MAVILIAE . ROMANAE
VITAE . INTEGRITATE . AC . MORIBVS . SVAVISSIMIS
FEMINAE . INCOMPARABILI
TERESIA . FILIA . ET . HERES
MATRI . PIENTISSIMAE . AC . BENEMERENTI
CVM . LACRIMIS . P
VIXIT . ANN . . . . . . MENS . . . . DIES . . . .
FECIT . CVM . IOANNE . CAROLO . DIONIGI
SINE . VLLA . QVERELA . ANNOS . XXXVII
DEPOSITA . V . NON . MAIAS . CIƆIƆCCLXXIII

LXXXIII

HIERONYMO . FERRIO
AVREAE . LATINITATIS . AD . AVGVSTEAM . ELEGANTIAM
CVLTORI . CANDIDISSIMO
MINVTOS . HOSCE . VERSICVLOS
IN . IPSO . FORI . TVMVLTV . E . RE . NATA . COMPACTOS
CAIETANVS . MIGLIORE
QVOS . TANTO . IVDICI . PERTIMESCERET
AMICO . SVAVISSIMO . SVI . QVE . AMANTISSIMO
SI . MINVS . INGENII
SVI . CERTE . AMORIS . TESTES
VLTRO . MITTERE . NON . ERVBESCIT

In Ferrariensi apud V. C. Iacobum Agnelli Academia.

IN HOC SIGNO VINCES.

O D E.

QVis laeta fulgor lumina verberat?
Videtis? an me coepit amabilis
Insania, et dolosa falsis
Ludit imaginibus furentem?
Te te corusco cernimus aethere,
Crux alma, quondam supplicium reis
Fatale; nunc dignate Christi
Hospitio, venerande stipes.
Non sic ut olim per mare naufragum
Amica moestis sidera fulgere
Nautis videntur, inquieti
Vnda minax Adriae recumbit;

I 2

Fulges ut armis tu simul, hostium
Omnis repente en concidit impetus,
Retroque versa vix furentes
Victa acies fugiet sagittas.
Hoc nempe sensit mens bene provida
Regis, Quirites Christiadum gregi
Qui primus adjunxit, Crucemque
Romuleis aquilis revinxit.
Qualis frequenti mollis anhelitu
Quem dira vexet littore in Africo
Fames leo, occultas minaci
Dente furit reperire praedas;
Hinc et recurvo quidlibet obvium
Vngui refringit, nec juga montium,
Vallesve inhospitas pavescens
Insolitos meditatur ausus:
Sic et secundis usque laboribus
Hac currit illac imperiosior,
Faustoque Constantinus ense
Oppositas acies fatigat;
Et hostium ipso tutus in agmine
Fallit furentis spicula militis;
Perque arma, et obstantes phalanges,
Ac medios properat per enses
Vbique victor. Immiserabiles
Frustra heu sagittas vitat eques cadens,
Et sordido indecorus ictu
Mordet humum temere insepultus.

Tyrrhena taetro sanguine decolor
Tibris revisit littora , et ultimos
Ad usque procurrens Britannos
Rettulit oceano ruinas.
Nempe ipsa tantis excita motibus
Et Inferorum concutitur domus;
Caputque sustollens cruentus
Tartareae dominator aulae
Videt, profano quod Capitolio
Romana pubes reddere victimas
Sueta , nunc quaerit Deorum
Templa sacro renovare saxo,
Crucemque ab altis tollere postibus:
Ah nostra posthac occidet occidet
Spes, inquit , et subjectus orbis
Heu veterem excutiet catenam:
Nos nos secundis usque ferocior
Palmis superba victor aget manu
Impune , florebitque nostris
Italiae imperium ruinis.
Haec fatus, unam scilicet invidens
Vinci per illam , cornigerum citus
Sceptrum refringit , propriisque
Lurida serta comis revellens
Injurioso dein pede proruit;
Atque Inferorum squallida non semel
Mugivit horrendum caverna,
Et querulo sonuit tumultu.

LXXXVI

In Nuptiis Rodulphi Varani, ac M. Magdalenae Zanardiae.

FLebilibus numeris, Elegeïa, nata, modisque,
Et dubios casus plangere docta virum;
Surge age, tolle animos, majoraque viribus aude,
Nomen et heroo carmine falle tuum.
Nescio quae insoliti procedit pompa triumphi;
Necte, precor, vati laurea serta tuo.
Dum novus ingreditur tenera cum conjuge sponsus,
Et properat dextras jungere castus Hymen;
Laetitia insuetam tollens ad sidera vocem,
VARANOS patriis excitat e tumulis.
Vidi egomet densos humeris, velut agmine facto,
Hac illac proavos, alme RODVLPHE, tuos.
Adstitit et senio gravis, et felicibus armis
GENTILIS (1), populi gloria prima sui.
Quo duce, sanguineas inimica per arma sagittas
Impavida risit fronte Britannus eques.
Ardet adhuc veteres iras, vultuque rubenti
Spirat, et ignitis funera luminibus.
Hunc prope BERARDVS (2) stricto mucrone rebelles
Romano rursus subdat ut imperio,
Fulmineo hac illac impune potentior ictu,
Per medios ignes, per media arma ruit.
Cerne, ut honorato sordescant pulvere crines,
Angat et indomito sudor anhelus equo.
Excipit hunc terna viduatus prole RODVLPHVS (3),
(Quantum o crevissent, ni cita mors raperet!

Sed frustra immites tentavit flectere Parcas
    Mater, inornatas dilaniata comas)
Ivlivs (4) huic juxta est, animae qui prodigus, ense
    Vrget adhuc celeres imperiosus equos.
Nec procul indignans fugientem e pectore vitam,
    Mordet humum turpi vulnere stratus eques.
Pone Rodvlphvs (5) adest, non una callidus arte,
    Sive opus est armis, seu regere imperio.
Nec tu alios inter indictus abibis Alexas (6),
    Cui premit annosum sacra tiara caput.
Quem Pietas, sanctusque Pudor comitantur euntem,
    Et lateri custos addita rara Fides.
Quid reliquos memorem Heroas, quos ordine longo
    Mars fovet, aut docto Pallas amica sinu ?
Purpureo quisquis humeros indutus amictu,
    Quisquis fronde caput comptus Apollinea;
Certatim accurrunt alacres, carumque nepotem
    Porrecta trepidat ducere quisque manu.
Aspice, turba ut eat circumstipatus ovanti,
    Cogitur ad plausus sistere saepe pedes.
Plausibus assultant colles, assultat et aether,
    Et dant Eridani littora pulsa sonum.
Algosum Padus ipse ima caput extulit unda,
    Et Thetis Adriaco plaudere visa sinu.
Victorum sic Roma ducum spectare triumphos
    Arsit, victrices sic comitata rotas.
Ipsa quoque Heliadum lacrimosa electra sororum
    Non audent tristes contemerare genas

Et posito ingeminant tantisper gaudia luctu,
    Fraterni interea funeris immemores.
Hos inter plausus, tantis et honoribus auctus,
    Ingredere o patrios, alme RODVLPHE, lares.
Scilicet in te unum domus inclinata recumbit:
    Ingredere o gentis spes rediviva tuae.
Iam taedas quatit almus Hymen; parat omine certo
    Ipsa maritalem pronuba Diva torum.
Haud mora, te faciat generosa prole parentem
    Aurea qui torsit spicula sanctus Amor.
GENTILIS rursus, blando et BERARDVLVS ore,
    IVLIOLVSQVE patris rideat in gremio.
Tantisque ut primum auspiciis adoleverit aetas,
    Proficiant faustum in nomen, et omen avum.
Sic tecum longos ZANARDIA vivat in annos;
    Vivat, et alterna spiret uterque face.

---

(1) Morerius in Lexico ad vocem Varano: *Gentil, qui fut le premier, qui eut le domaine de sa famille en Camerino... Il fut Capitaine general du meme Alexandre IV., et Colonel de Cavalerie pour Odoard Roi d'Angleterre.*

(2) Idem: Berard. I. *Il reconquit par force d'armes a l'Eglise Urbin, Osimo, Recanati, et Fano.*

(3) Idem: Rodolphe I. *Celui-ci eut de Galatee de la Maison Royal d'Angleterre, trois fils nommes Jean, Sigismond, et Rinalduccio tres-valeureux en armes, qui decederent sans succession.*

(4) Idem: *Jules Cesar etant homme assez vaillant fut Capitaine general de Martin V., de Florentins, du Duc de Milan, et de la Republique de Venise, qui l'admit au nombre de patrices Venetiens avec ses descendents.*

(5) Idem: Rodolphe II. *Etant apres revenu en Italie Louis, et Jeanne Rois de Naples le creerent Vice-Roi de l'Abruzzo en* 1354. *Il fut Capitaine general de l'armee de l'Eglise, mit en deroute celle des Malatestes, des Ordelaphes, et de Gentil de Fermo, et conquit a l'Eglise la Marche, et la Romagne.*

(6) Idem: *Dom. Alexandre frere de Dom. Hercule mourut Evêque de Macerate l'an.* 1735. Reliquos ejusdem familiae viros vide apud Morerium loc. cit., ubi plures alios refert de nobilissima ea gente scriptores.

LXXXIX

Ob restitutam Sedi Apostolicae Avenionensem ditionem Arcadici conventus in Luco Parrhasio gratulationes.

CErnitis? an dulcis coepit me insania? nuper
Atroci hac illac volitans Discordia fastu
Palmam ostentabat victrix, fraudumque secundo
Ebria successu, majoribus usque ruinis
Instabat capiti meditans nova funera nostro.
Ecce autem obscuras ceu nubes ventus, et imbres
Dissipat Arctoo spirans Borealis ab axe,
Ausonia extemplo, Romanaque moenia felix
Pax repetit, secumque soror Concordia pannis
Advolat auratis coelo delapsa sereno;
Postibus et Iani clausis, radicitus omnes
Extirpat belli caussas, ac semina culpae,
Et grave tergemino reparatur foenore damnum.
Accipiunt, agnoscuntque illam Hebrusque, Tagusque,
Et qui te, Sebethe, bibunt, celeremque Garumnam.
Ipse pater Tibris praecinctus arundine crines
Exsultat, repletque vadis spumantibus alveum,
Atque hilares viridi redimitae tempora serto
Ter quater effusos tollunt ad sidera plausus
Najades, et septem respondent undique colles;
Dum tristis scissa plorans Discordia palla
Incassum Eumenidas taetro ciet ore, minasque
Incassum jactat; nam centum onerata catenis
Cogitur Oenotriis actutum excedere terris,
Atque Acherontei se condere faucibus antri.
Nempe Quirinali accipimus rite omen ab arce:

Te, te, tantorum, Clemens, o caussa bonorum
Alterum uti Patrem, fundatoremque quietis
Roma minor pedibus iterumque iterumque salutat.
Per te prisca redit Romani gloria saecli,
Relligio, Pietas, albo velataque panno
Iustitiae soror alma Fides, Bonitasque, Pudorque,
Ingenui mores, et pleno Copia cornu
Victrix Tarpeja vexillum extollit ab arce;
Nec procul insueto circumdata Pallas amictu,
Quam centum facto circumstant agmine Divae,
Musarum merita cultores fronde coronat.
Hanc prope sancta Themis nunc praemia lance rependens
Nunc poenas aequa, pede proruit usque potentum
Gratiam, amicitias, aurum, fraudesque, dolosque.
Quid mirum tantis si plausibus excitus ipse
Oceano caput extulerit Neptunus ab imo,
Nereides, Triton, Glaucus, Thetis, Amphitrite,
Et placido circum submurmuret aequore littus?
Tanti est, alme pater, roseae quod prima juventae
Tempora semotae per sacra silentia vitae
Duxeris, irrepit quo numquam blanda voluptas,
Deliciae molles, turpis vel inertia, at una
Cura est divinis usque impallescere libris,
Longasque in studiis noctes vigilare severis.
At tu parce, precor; sint haec licet optima, cunctas
Officiisque tuis longe spes viceris, a te
Majora at Roma exspectat, melioraque semper.
Ergo vive diu; felices vive per annos,
Nobis at vive, ac Superos dum rite precamur,
Intonet, et fausto respondeat omine coelum.

Ob restitutam Pio VI. salutem

E C L O G A.

TITYRVS, ET CORYDON.

Tit. SIste gradus, Corydon: vicini fontis ad oram,
Limpida ubi placido submurmurat unda susurro,
Adsideas, missis ad pascua nota capellis;
Et laeto quoniam currentibus ordine rebus
Candida per sylvas regnat, per et arva voluptas,
Gaudia nos etiam tenui testemur avena.
Cor. Vt lubet; en ultro tua, Tityre, jussa capessam;
Nam quis non hilares depromat pectore voces,
Dum resonant valles, intonsi et DAPHNIDA montes,
Pallida quem nostris prope mors inviderat arvis?
Squallebant taetra septem caligine colles,
Et malesana nigros macies obduxerat agros.
Ipsae te rupes, ipsa haec te flumina flebant,
DAPHNI, nec assuetas, inverso vomere, terras
Aut bos, aut avidus valuit curare colonus:
Non ausa est dulcem muscosi fluminis undam
Maesta ovis, aut teneras attingere graminis herbas.
Tit. Ah Corydon, Corydon, nisi mens mihi laeva fuisset,
Non semel infausto praedixerat omine tellus;
Nam neque pallentes violas, mollesque hyacinthos
Vere novo, aut rubea depinxit fronde papaver;
Sed medias ingressa hyemes, mirabile visu!
Ipsa canis rabies crescentes ussit aristas.
Vberibus quoque distenctis ter jussa venire,

Ter renuit trepidans properare ad mulctra capella.
Cor. At tu quid tristes, aegroto DAPHNIDE, campos,
Omnia si incolumi nunc rident DAPHNIDE prata?
Ille ubi Romuleis rursus se praebuit oris,
Fertilitas iterum flaventia rura pererrat;
Vernat ager, rident colles, et prata virescunt,
Injussae veniunt fruges, promittit et arbos
Poma, quot exactis vix forsan protulit aevis.
Tit. Grex etiam macie nuper confectus, ovile
Quam bene nunc circum, DAPHNI redeunte, revixit!
Qualis o hinc nobis (nec fallor) copia lactis,
Et niveae lanae, quanta et faetura redibit!
Curabit quoad DAPHNIS oves, oviumque magistros,
Non sublapsa lues, non vis inimica luporum,
Intactum nec dira pecus contagia laedent.
Exsiccata Palus, tuque, o Pometia, testis,
Quo gravidis accita Ceres dum ridet aristis,
Indignans macies, morbusque, ac turpis egestas,
Aëris et gravitas Libycis se se abdidit antris.
Cor. Saepius et clausis adstat vigilantior hortis,
Quos vario per se gaudet depingere flore,
Alba ligustra rosis miscens, et lilia anethis;
Ac modo contextis inducit frondibus umbras,
Nunc teneras rigido defendit frigore plantas.
Tit. Quis sileat dulces, quas fundit ab ore loquelas,
Pastorum turba circumstipatus ovanti,
Per festos ubi nostra dies altaria fumant,
Sanctaque sollemni mactatur victima more?

Vocibus illius assultant undique colles,
Et plaudit flavus submisso murmure Tibris;
Dum pecus interea insueta dulcedine captum
Immemor herbarum arrecta bibit aure loquentem.
Cor. Sed tu desine plura; manu mihi sumpta cicuta est;
Carmina Daphnis amat, nostro sit carmine dignus.
Incipe tu prior, alternis cecinisse juvabit.
Tit. Puniceis invecta rotis aurora refulgens
Nocturnas abigit tenebras, solemque reducit;
Daphnis ubi nostris iterum se reddidit arvis,
Pastori, ac pecori, amoto dat gaudia luctu:
Dicite jucundum, mea carmina, dicite Daphnim.
Cor. Candida nocturnas niveum cum Luna per umbras
Exserit os, ignes secum fert illa minores;
Sic Pietas, et rara fides, Bonitasque, Pudorque
His rediere simul, redeunte huc Daphnide, pratis:
Concine festivos, mea tibia, concine versus.
Tit. Languescunt flores, exustaque terra dehiscit,
Fecundos coelum quo tempore denegat imbres;
Daphnidis haec tellus studium dum sentit amicum,
Arescit numquam, non imbribus indiget ullis,
Dicite jucundum, mea carmina, dicite Daphnim.
Cor. Cum fons irriguus siccis immittitur hortis,
Vires herba statim moriens, vitamque resumit;
Nostros dum Daphnis conclusos educat hortos,
Non sitiens alias flos, plantaque postulat undas:
Concine festivos, mea tibia, concine versus.
Tit. Gaudete, agricolae; vestris duce Daphnide campis,

Spissa seges vacuis numquam spem fallet aristis;
Musta exundabunt lacubus spumantia plenis,
Fertilibus semper ramis curvabitur arbos:
Dicite, jucundum, mea carmina, dicite DAPHNIM.
Cor. Gaudete et vos, pastores; dein auspice DAPHNI,
Candida semper oves praebebunt vellera, semper
Faetura et pecudum reparabit damna cadentum,
Et bis injustae venient ad mulctra capellae:
Concine festivos, mea tibia, concine versus.
Tit. Per nemus obscurum, DAPHNI custode, deinceps
Ite meae, quacumque libet, procul ite, capellae;
Seu somnos captare juvet, seu frigus opacum,
Non vespertinus circumgemet ursus ovile:
Dicite jucundum, mea carmina, dicite DAPHNIM.
Cor. Sic modo, DAPHNI, suis de annis quoque longũ agere aevũ
Gaudeat agricola, ignitas te donec ad arces
Scandere suspiciat, qua virtus astra recludit,
Ac nova gramineo consurgant cespite templa:
Concine festivos, mea tibia, concine versus.
Tit. Sint satis haec, Corydon; jam sol se mergit in undas,
Atque domum saturae properant remeare capellae;
DAPHNIDA nos melius, dederit modo Musa, canemus.

In obitu Marchionis Nicolai Fraggianni.

QVid, si visa tuas, Fraggianne, inopina per aedes
Non exoratum mors modo ferre pedem?
Scilicet haud una sensit vice callida, quod si
Exspectata tuas tentet adire domos;

Relligio, Pietas, et pleno copia cornu (*),
    Incorrupta Fides, Candor, et alma Themis,
Ne sua quotquot habent tecum decora alta perirent,
    Et caderes multis flebilis ipse bonis,
Vndique circumstent, ictum dextraque levantes
    Surripiant avida ex falce mori immeritum;
Suspenso irrepens pede vix securum agere aevum
    Cernit eas, subitas injicit illa manus.
Quodque erat in votis, multos collecta per annos
    Secum uno exsultans funere cuncta rapit.
At quid tu, demens, fortunaque ebria dulci,
    Abscissum jactas, mors, spolia ampla, caput?
En pars multa sui libytinam vitat, et omnis
    Non moriens, crescet laudibus usque recens.

Salvatori spiriteo Cajetanus Migliore
In nuptiis Gerardi Carafae, atque Helenae Serrae.

Omnium lepidissimo poëtae
Velim Spiriteo, papyre, dicas,
Quod jam blandidulus meus Gerardus,
Omnium puer elegantiarum,
Iungitur lepidae nimis puellae.
Quivis gaudia miscet, atque ad astra
Quivis Helenulam, Gerardulumque,
Quivis usque Gerardulum, Helenamque
Multo praetrepidat vocare versu.

(*) *Annonae praefecturam innuit.*

Quare et excutiat suam camoenam
Omnium lepidissimus poëta,
Cui versus lepidi, bonique vena
Injussi veniunt benigniore;
Cujus ore, labellulisque blandae
Subsident Veneres Catullianae,
Subsident Charites, Facetiaeque,
Doctae, Iupiter, elegantiaeque.
Quare et excutiat suam camoenam
Omnium lepidissimus poëta.
Meo haec nomine pluries rogabis,
Plurimamque ubi dixeris salutem,
Docto non sine carmine huc redito.

V. C. Cajetano Migliore Marchio Salvator Spiriti salutem.

INter clara ingenia, Gerardi Caraphaei, et Magdalenae Serrae nuptias versibus exornare volentia, ut ego quoque symbolam conferrem, sapidissimis tuis hendecasyllabis, mi Cajetane, provocasti. Reponam illud: *Senex bos parum aptus ad aratrum*; nec te fugit, quantis distinear curis, quibus aerumnis afflicter. Nihilominus quo tibi morem gererem, barbyton sumpsi, lyram pertentavi; at quid inde? dicam ingenue, caput scabere, et ungues obrodere parum profuit: nihil ex voto successit. Quamobrem amicorum suavissime, excusatum me habeas, et ubique credas, quod, ut ait poëta, a sicco pumice quaeris aquam. Vale.

XCVII

Ob exhibita Pontifici ab Auctoris amico numismata.

CLEMENTI. XIV. PONT. OPT. MAX

QVOD. PACEM. ET. PACIS. ARTES

ROMANIS. SVIS. CONCILIAVERIT

BINA. TITI. ET. TRAIANI

OPTIMORVM. PRINCIPVM

MAXIMI. MODVLI. NVMISMATA

AD. HAEC. VIGINTI. DVO

QVAS. NEMO. ADHVC. COLLEGIT

M. ANTONII. IN. NVMMIS. LEGIONES

BINA. DENIQVE. FAMILIARVM

RESTITVTA. VTI. VOCANT. NVMISMATA

MECOENATI. SVO. BENEMERENTISSIMO

SI. MINVS. QVOD. VELLET

QVOD. CERTE. POTEST

GRATI. ANIMI. MONVMENTVM

D. D. D

DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATI. QVE. EIVS



n

XCVIII

Neapoli in Coenobio sub titulo Reginae Coeli.

SILVIAE . DE . MARRA
E. GVARDIAE. LOMBARDAE . DVCIBVS
SYNOPOL. COM. SCYLL. PRINC
MATRONAE. RARISSIMI. EXEMPLI
QVAE. EX. AMISSO. CONIVGE. CONCORDISSIMO
GVILELMO . RVFFO
CVM. QVO. VIXERAT. SINE. VLLA. QVERELA
ABDICATIS . INANIS . GLORIAE. TITVLIS
SACRA . HAEC. CLAVSTRORVM . SILENTIA
DEO. AC. SIBI. VNICE. VICTVRA. ADIVIT
THERESIA. ELEONORA. IOANNA. FILIAE
COENOBII. HVIVS. VIRGINES
DOLORI . HEV. NON. ADMISSVRAE. SOLATIVM
MATRI. DVLCISSIMAE. AC. BENEMERENTISSIMAE
PRAEREPTVM. CETERIS. AFFINIBVS. OFFICIVM
MOERENTES . PERSOLVVNT





IC

Sub effigie S. Cassiani Comaclensium patroni primarii.

FRANCISCO . CARD . CARAFAE
FERRARIENSIS . DITIONIS
PRO . SEDE . APOSTOLICA . LEGATO . A . LATERE
PVBLICAE . FELICITATIS . REPARATORI
QVOD . SENATVM . POPVLVM . QVE . COMACLENSEM
A . SVA . NVMQVAM . CLIENTELA
VEL . A . PROVINCIA . DISCEDENS . DISTRAHI . PASSVS
PERPETVVM . HVIVS . VRBIS . PATROCINIVM
CONSPIRANTIBVS . OMNIVM . ORDINVM . SVFFRAGIIS . CONLATVM
LIB . LVB . EXCEPERIT
VALENTINVS . A . SANCTO . IOANNE . BAPTISTA
AVGVSTINIANVS . EXCALCEATORVM . FAMILIAE . FILIVS
COMACL . PRO . SAC . INQVIS . VICARIVS
HANC . S . CASSIANI
PRIMARII . COMACLENSIVM . TVTELARIS . IMAGINEM
PATRONO . BENEMERENTISSIMO
GRATI . ANIMI . MONVMENTVM
D . D . D
ANNO . CIƆIƆCCLXXX





C

Neapoli.

COMITI . DOMINICO . DE . ALMARZA

NEAPOLITANO

IOSEPHI . PATRICII . TARRACONENSIS

SVB. PHILIPPO. IV. HISPANIARVM . REGE

MILITVM . TRIBVNI

TVM. PROVINCIAE. PRINCIPATVS. CITERIORIS

VICARII . VIGILANTISSIMI . FILIO

CVIVS. IVSTITIA. MORVM . SVAVITAS

EXIMIA. IN . DEVM . PIETAS

SVMMA. VERO. IN. EXPEDIENDIS. NEGOTIIS. DEXTERITAS

PRAESERTIM. GERMANICA. LEGATIO

AD. PACEM . INTER. CAROLVM . VI . AVG

ET . PHILIPPVM . V . HISPANIARVM . REGEM

ANNO . CIↃIↃCCXXV . EX . STIPVLATV . FIRMANDAM

ITA. DD. NN . REGIBVS . COMMENDARVNT

VT . REGII. FISCI . IN . M . C . V . PATRONVS

AD. HAEC . SANCTIORIS. S. CLARAE . SENATVS . VVIR



TVM . SICILIAE . PROREGI . A . CONSILIIS

IN . SVPREMO . DENIQVE . E . REGIS . LATERE . CONSILIO

REGENS . RENVNCIARETVR

HVIC

VIENNAE . AVSTRIACAE . ANNO . CIƆIƆCCCXXXV

AETATIS . LXVI . CVM . OMNIVM . LACRVMIS . SVBLATO

QVEM . TITVLVM

COMES . ANTONIVS . COPPOLA . SORORIS . FILIVS

HERES . EX . ASSE

XIIVIR . PRAEFECTVS . AERARII

AVVNCVLO . OPTIMO . AC . BENEMERENTISSIMO

SVPREMIS . TABVLIS . APPONI . IVSSERAT

CAESAR . EIVS . FILIVS

REGALIS . PATRIMONII . LAICVS . PRAESIDENS

REGIORVM . SITVVM . AC . REI . MONETARIAE . PRAEFECTVS

PONEND . CVR . ANNO . CICIƆCCLXIV



CII

In fronte Diatribae Romanis typis edendae.

EMINENTISSIMO. AMPLISSIMO. QVE. VIRO
LAZARO. OPITIO
EX. SPECTATISSIMA. PALLAVICINORVM. FAMILIA
INTER. ITALIAE. PRINCIPES. ADNVMERANDA
PATRICIO. GENVENSI
QVI. AETATE. ADHVC. VERNANTE
APOSTOLICVS. APVD. NEAPOLITANOS. LEGATVS
IPSAM. AVORVM. GLORIAM
EGREGIIS. ANIMI. SVAVITATIBVS
MATVRITATE. PRAESERTIM. CONSILII
MAGNIFICENTIA. COMITATE. MODESTIA
LITTERARVM. CVLTV. EGREGIE. AVXIT
AD. HAEC. IN. HISPANICA. LEGATIONE
DIFFICILLIMIS. ASPERIS. QVE. TEMPORIBVS
PONTIFICIAE. SEDIS. MAIESTATEM
SVPRA. FIDEM. AMPLIFICAVIT
QVEM. DENIQVE
GLORIA. ET. MERITIS. ONVSTVM
VIRTVTES. IPSAE. AD. ROMANAM. PVRPVRAM
PROBANTIBVS. OMNIBVS. EVEXERVNT



ET

CLEMENS. XIV. PONT. MAX

ACERRIMVS. INGENIORVM. AESTIMATOR

NE. DE. SVO. VMQVAM. LATERE. DISCEDAT

IN. SVPREMIS. REI. PONTIFICIAE. NEGOTIIS

SIBI. A. SECRETIS. CONSTITVIT

QVEM. TAMEN

GRAVISSIMA. IPSA. NEGOTIORVM. MOLES

AB. SVIS. MVSIS

ET. INGENVARVM. ARTIVM. AMOENITATIBVS

NVMQVAM. DISTRAXIT

CAIETANVS. MIGLIORE

LIBELLVM. HVNC. AB. RERVM. PONDERE

ET. MOLE. TENVISSIMVM

AB. OBSEQVIO. VERO. ERGA. OPTIMVM. PRINCIPEM

NVLLI. SECVNDVM

VT. AB. ANONYMI. OBTRECTATORIS. CONVICIIS

AVCTORITATE. SVA. TVEATVR

PATRONO. INDVLGENTISSIMO

D. D. D





CIV

Sorae in regno Neapolitano.

RINALDO. SANTOMANGO

BENEDICTINAE. FAMILIAE. ABATI. VIGILANTISSIMO

AC. SALERNITANO. VLTIMAE. ANTIQVITATIS. PATRICIO

QVEM. PER. VARIOS. MVNERVM. GRADVS

SATIS. SPECTATVM

AD. SVPREMAM. CASSINENSIS. DIOECESIS. PRAEFECTVRAM

AVITAE. MAIORVM. IMAGINES

AC. SVVS. VIRTVTVM. OMNIVM. FAMVLATVS

PORRECTA. DEXTERA. EVEXIT

SEMINARII. HVIVS. ALVMNI

TANTO. POSTHAC. PATRE. BEATISSIMI

VMBRATILES. HASCE. EXERCITATIONES

SI. MINVS. INGENII

SVI. CERTE. OBSEQVII. AC. LAETI. ANIMI. TESTES

PATRONO. BENEMERENTISSIMO

MAIORA. IN. DIES. RITE. ADPRECATI

D. D



IVLIO. PERINIO
ANIMAE. CANDIDISSIMAE
CVIVS . AVREAM . IN . SCRIBENDO . VENVSTATEM
PONDEROSA. VINCIT. SEMPER . RERVM. COPIA
AC. SVBACTA . INGENII. MATVRITAS
VT . NEC. VERBIS. ELEGANTIAM. NEC . SENTENTIIS. IVDICIVM
VSQVAM. DESIDERES
CAIETANVS . MIGLIORE
PAVCVLA . HAEC . EPIGRAMMATA
AMICIS. E. RE. NATA. POSTVLANTIBVS. CONSCRIPTA
AMICISSIMI. VIRI. MANIBVS. LVBENTER. SISTIT

I.

In nuptiis Iulii Scacernae, et Annae Ricciae.

AVrea quae quondam Saturno saecula rege
Redderet ut nostrae Iupiter Italiae,
AGLAIAM haud pridem Hesperias demisit in oras,
Cui Venus, et comitem se dedit almus Amor.
Hanc Teresiolae mutatam nomine Divam
Scacernae sancto foedere junxit Hymen.
Altera mox summo delapsa est Gratia coelo
EVPHROSYNE, et placida qua fluit Arnus aqua,
Nuberet ut fratri Carolo, Francisca vocari
Maluit, ac sponsae vultum imitata Dea est.
Tertia restabat Charitum formosa TALIA,
Ricciolae in roseis abdita Virgo genis.
Nunc quis non magno Divum sine numine factum
Deneget, ut nubat Riccia Iuliolo?
Sic quas una olim Charites Iovis aula tenebat,
In terris etiam tres habet una domus.

(*) *Alexandri Scacernae Ferrariensis tres supersunt filii; Franciscus natu major, cui nupsit Teresia Testori domo Liburno: Carolus natu minor, cui nupsit Francisca Baretti Florentina; Iulius natu minimus, cui nunc feliciter nubit Anna Ricci Ferrariensis, quas quidem mulieres, ut patria dispares, sic venustate, ac lepidissima forma plane gemellas dixeris.*

II.

In Nuptiis Laurentii Rondinellii, et Celtrudis Gnudiae.

CEltrudem placidas vicini ad fluminis undas
Nympharum tenero cum grege vidit Amor.
Ceu solet assuetis, Zephyro praeeunte, columbis
Cypria ad Idalium Diva redire nemus.
Ah mater (simili deceptus imagine dixit)
Sic servas formae praemia justa tuae?
AVREVM Acidalio delapsum in vertice POMVM,
Erranti nuper se mihi forte dedit.
Accipe, divinus meruit quos vultus honores,
Vtraque quum Phrygio judice victa Dea est.
Subrisit furtim Virgo, facilique rubore
Explicuit roseis, quod tacet illa, genis.
Non mihi, sed Cypriae, dixit, fer munera Divae;
Debentur meritis praemia digna suis.
Humanam agnovit mortali e pectore vocem
Tunc Amor, errori plausit et ipse suo;
Ac tibi quis pomi meritos neget, inquit, honores,
Si Venus in vultu subsidet ipsa tuo.

III.

In idem.

ERidani ad ripam occurrens Cythereis Amori:
Vnde oculos, inquit, qui modo coecus eras?
Quod temere humanas feriant mea spicula mentes,
Me coecum posthac jusserat esse Pater.
Verum ubi Celtrudem per me Laurentius arsit,
Plausit, et antiquos reddidit ille oculos,

IV.

In mortem Lucretiae Agujarae.

DVm tenebris adoperta caput Mors visa canorae
Phyllidis immiti currere falce lares:
Parce, ait Harmonia, heu miserae mihi parce precanti;
Ah mea tot pereunt, illa abeunte, bona.
At Pietas, tardo quid cessas cuspide, dixit,
Æthereis meritam sedibus inserere?
Tunc Mors suspenso paullisper restitit ictu;
Dein placido hos ridens reddidit ore sonos:
Vltima si cantus tetigit fastigia, vivens
Nil ultra Harmoniae, quod dare possit, habet.
Ergo habeat meritos moriens Pietatis honores:
Sic referet fructus utraque Diva suos.

V.

Ingenuae Artes ad Pium VI. Pont. Max.

NOsne tibi, Princeps, an debes tu mage nobis?
Cui vel ab alterutro gratia major erit?
Te nos tergemino diademate tempora cinctum
Porrecta ad solium duximus usque manu.
Tuque studes contra supremo e culmine felix
Vt priscus nobis restituatur honor.
Officiis ergo certabimus usque vicissim,
Victus ut alternis vincat uterque simul.
Nam meritos nobis ut reddere pergis honores,
Æternum per nos sic Tibi nomen erit.

VI.

In obitu Comitis Camilli Zampieri Poetae maximi.

DVm laudes, Alceta, tuas cecinisse juvaret,
Cur negat assuetos reddere Musa modos?
Nempe nigra Aonius languet caligine vertex
Morte tua, ac tristes stant sine voce Deae.
Te dicente, tuo consueverat ore Thalia
Dicere: cum taceas, non minus illa tacet.
Solum hoc Pierio lacrymabile carmen in antro
Personat: heu virtus tam bene culta jaces.

VII.

Ob restitutam Phyllidi salutem.

ABliderat roseo jamdudum Phyllidis ore
Quotquot habet teneras Cypria Gratiolas.
Hinc lento ut Phyllis languet male firma calore,
Heu languent Charites, Cypria turba, Deae.
At Venus indignans ignitas attigit arces,
Ausa ipsum coelo sollicitare Iovem.
Ægrotae antiquam tum reddidit ille salutem;
Sic Veneri Charites reddit, ut ante, suas.

VIII.

Ad Phyllidem, cui inexspectatus ex ore sanguis effluxit.

CVr faciles, mea Phylli, novus tremor occupat artus,
Si tua non sueto sanguine labra rubent?
Quem Veneris tenero expressit pede spina cruorem,
Servat adhuc foliis hunc Rosa tincta suis.
Si roseas ergo decerptas fronte corollas
Deposuit labris Cypria Diva tuis,
Dum Charites, blandique movent tua labra lepores,
Non tuus, at Veneris defluit inde cruor.

IX.
Phyllis e balneo.

HVmidulos tepido surgens e fonte capillos
Cur differs manibus tergere, Phylli, tuis?
Quam maris e fluctu natam depinxit Apelles,
Aureolis spumas exprimit illa comis.
Id modo ne renuat Phyllis, tum visa cuique
Phyllida, non Venerem pingere Graeca manus.

X.
Phyllidis effigies.

QVid remoraris adhuc? lepidam quid Phyllida, pictor,
Desperas dubia pingere posse manu?
Si Cypriae concham Veneri, junctasque columbas
Sedulus abstuleris, jam tibi Phyllis erit.
Mox concham, et junctas si reddas forte columbas,
En iterum nobis haec erit alma Venus.

XI.
Sub Phyllidis imagine.

FRonte Minerva sedet; latet abdita Cypris in ore;
Lumina finxit Amor: quis neget esse Deam?

XII.
De pictae tabulae lineamentis, quae Mengsius sub mortem incompleta reliquit.

VIdit adumbratas tabulae mors invida formas:
Quid si perficiat? nec mora, fregit opus.

XIII.
De Iacobo Agnellio V. C. pro suo poemate
DE CHRISTO REDEMPTORE.

SCribenti hinc aderat Pietas, hinc docta Poësis;
Haec mentem, illa animum dirigit, ambo manum.

XIV.

Borussiae Rex de novo in sui laudem poëmate.

TOta quod in nostros armata Europa ruinas
Immenso stantem haud agmine proruerit;
Quod scierim, duris ut tonsa bipennibus ilex,
Per damna, et caedes ducere firmus opes,
Æmathium aequasse Heroem haec me praedicat aetas,
Praedicat extremi nescia fama rogi.
At docto, Francisce, tuo quod carmine dicar,
Postera Alexandrum me superasse canet.
Nam Macedo aedituum quaerens sua facta canentem
Visus Achilleo marmore dura queri.
Te vate, haud longa urgentur mea praelia nocte,
Et me qui cantet, vivit Homerus adhuc.

XV.

Ad March. Salvatorem Spiriti pro egregio de Machina Electrica Carmine.

TE nova naturae nuper miracla canentem,
Et mira effectus Machina quot pariat,
Dum simul exciti circumstant undique vates,
Sublataque tuum dum melos aure bibunt,
Pallenti hos inter visus Lucretius ore est,
Multa gemens propriis vellere serta comis.
Scilicet ereptum doluit lacrimatus honorem,
Quo nullum tulerat fama fuisse parem.
Naturam numeris primus cum dixerit ille,
Trita quidem cecinit nullius ante pede.
Non prius auditas naturae tu quoque caussas,
Dictaque nullius hactenus ore, canis.

XVI.

In funere Isabellae Mastrilli maximae nostri temporis vatis.

CVi sacros Phoebus penetrare, Isabella, recessus,
Et dedit Aonium scandere Musa jugum,
Cur tragicis olim defunctum, altisque cothurnis
Barbiton ehu renuit tendere pigra manus,
Importuna tuas ubi currere visa per aedes
Atropos? ah mortis sic tibi caussa tuae es.
Nam te si plectro cantantem plenius aureo
Audisset magnum tristia fata virum;
Dura licet, vitae fatalia stamina Parca
Haud poterat dulci frangere capta sono;
Et proprii suavi cantu jam muneris illa
Immemor, usque humeris dulce melos biberet.
Carmine sic stupidas demittit Cerberus aures,
Eoliis sappho dum queritur fidibus.

XVII.

Ad Vesuvium.

QVi modo finitimis meditatus damna colonis
Obrueras culti jugera multa soli,
Flammarumque novos tollens ad sidera nimbos
Abstuleras dominis pinguia rura suis;
Adspice, ut immensum jam argenti pondus et auri,
Rege auctore, ex igne integra rura parent.
Venturi prudens, congestis undique saccis,
Possit ut ire tuis obvius ille malis.
Dein Campana libens domino, vicinaque raptes
Arva, haud ablatos ille dolebit agros.
Et positis gaudens, Fernando vindice, acervis,
Felix arva suo haud sentiet igne rapi.

XVII.

Hieronymus Ferrius Cajetano suo.

MEnse vacas toto, nostros et visere colles
    Negligis? ah nescis quod facinus facias?
Hic Pomona suas sedes jam fixerat ante,
    Bacchus et hic vites ponit, et ipse colit.
At postquam Phyllis laetas concessit in oras,
    Atque Gnidum, atque Paphum deserit alma Venus.
Circumstant Charites; faciles sonuere lepores;
    Et Iocus, et Risus considet ante fores.
Vnus Thyrsis abest. Adsit cum Phyllide Thyrsis;
    Pulchrior in terris nec locus alter erit.

XIX.

Cajetanus Migliore Hieronymo suo.

MEnse vacans nullo, vestros quî visere colles
    Possem? ni mecum ludere forte velis.
Hic premit assiduis Provincia tota libellis,
    Hic gens clamoso fallere docta foro.
At postquam Phyllis nostris decessit ab oris,
    Et secum Eridanum deserit alma Venus.
Laetitia hinc procul, et faciles abiere lepores,
    Nec Iocus, aut Risus considet ante fores.
Huc redeat Phyllis, redeat Vertumnus amicis,
    Gratior et rursus ibit, ut ante, dies.

Romae.

HEIC. IN. PACE. QVIESCIT
DOMINICVS. IORDANVS
GARGANI. IN. APVLIA. NATVS
QVI. POST. FIDELEM. NAVATAM. OPERAM
MARTINO. CARACCIOLO
PONTIFICIO. APVD. VENETOS. LEGATO
IN. REGENDIS
FERRARIENSES. INTER. AC. VENETOS. FINIBVS
ATQVE. IN. [illegible] ERIGENDIS. BREPHOTROPHIIS
THEAN[illegible]VM. EPISCOPVS. CREATVS. FVIT
MOX [illegible]AM. AD. MAIORA. EVOCATVS
ET. NICOMEDIENSI. ARCHIEPISCOPATV. AVCTVS
CONGREGATIONI. REGVLARIS. DISCIPLINAE
A. SECRETIS. EST. FACTVS
TVM. A. CLEM. XIII. P. M
AD. ANTIOCHENVM. PATRIARCHATVM. EVECTVS
GRAVISSIMO. VICES. GERENTIS. MVNERE
PER. ANNOS. XIV. SINE. VLLA. QVERELA. EST. FVNCTVS
QVO. DEMVM. VALETVDINIS. CAVSSA. ABDICATO
ANNOS. AETERNOS. IN. MENTE. HABENS
HOC. MONVMENTVM. VIVVS. SIBI. POSVIT
INTER. VRBIS. PAROCHOS
QVOS. SEMPER. HABVIT
LOCO. FRATRVM. CARISSIMORVM
VIXIT. ANNOS.... M.... D.... DEPOS.... KAL....

In topographica Vesuvianae eructationis tabula.

FERDINANDO. IV. VTRIVSQVE. SICILIAE. REGI. P. F. A CAROLI. III. HISPANIARVM. NOVI. QVE. ORBIS. MONARCHAE POTENTISSIMI. FILIO. BONARVM. ARTIVM. FAVTORI. AC VINDICI. INTERIOREM. HVNC. VESVVIANI. ORIS. CRATEREM ET. CONTINENTEM. MONTIS. CONSPECTVM. AB. EXTREMA. EIVS ERVCTATIONE. SEX. KAL. APRILES. ANDREAS. PIGONATIVS ARCHITECTVS. MILITARIS. QVOD. VNVM. POTEST. DEVOTI ANIMI. MONVMENTVM. D. D. D. L. M. ANNO. REGNI. EIVS SEPTIMO

P

Neapoli.

HEIC. RESVRRECTIONEM. EXSPECTAT
ALBINIVS. CASALE. DOMO. DIANO
CANONICVS. CAPVTAQVENSIS
QVI. CVM. MORVM. PROBITATE. ET. LITTERARVM. CVLTV
SATIS. SPECTATVS
REGENDIS. SEMINARII. ALVMNIS. PRAEFICERETVR
EPISCOPI. SVI. PRIVATAM. PVBLICAM. QVE
OMNIVM. ADPROBATIONEM. PROMERVIT
VIXIT. ANN.....MENS.....DIES...
AD. HAEC. DEIPARAE. CVLTVI. ADDICTISSIMVS
HOC. IN. SACELLO
EIVS. NOMINE. ET. AVSPICIIS. INSIGNI
QVOD. QVINQVAGINTA. AVREIS. AVXERAT
SVPREMIS. TABVLIS. SEDEM. OSSIBVS. SVIS. DELEGIT
ERIT. IN. PACE. MEMORIA. EIVS

Neapoli.

ILLVSTRE. HOC. COLLEGIVM
DEIPARAE. AVSPICIIS. AC. TVTELA. BEATISSIMVM
VBI. CEREA. IN. VITIVM. FLECTI. PVELLARVM. AETAS
OBSTRVCTO. ILLECEBRIS. ADITV
SIBI. AC. DEO. VIVERET
N. N. CANONICVS
AERE. SVO. A. FVNDAMENTIS. FACIENDVM. CVRAVIT
ANNO. CIƆIƆCCLXIII

DVM. PASSIM. IN. SYSTES. HOMINVM. GENVS. ABRIPIT. AESTVS
NOS. PLACIDAE. TVTAS. OTIA. PACIS. HABENT
NAM. SOLVS. QVI. NOS. POTERIT. SERVARE. BEATAS
HVC. SVBIT. INTACTAE. VIRGINITATIS. AMOR

CXV

Neapoli.

SEPVLCHRVM. FAMILIAE, BVRALIS. DE. ARETIO
IN. EO. SOLVMMODO. COMPONENDI
EX . VIRILI . STIRPE . DESCENDENTES
AGNATI. QVE. CVM. SVIS. VXORIBVS
EX. MVLIEBRI. TANTVM. INNVPTAE
NON. VERO. QVAE. NVNC. SVNT. NVPTAE. INFERENDAE
FAMILIA . DEFICIENTE
NEMINEM. SEQVATVR
POSTHAC. NVMQVAM. APERIENDVM
SED . AB . HONESTISSIMO
THEATINORVM. ORDINE
CLVSVM. SEMPER. SERVANDVM
VT. EX. PACTIS. CONVENTIS
PRID. NON. DEC. ANNO. CIↃIↃCCLXXI

Neapoli.

HEIC. DORMIT. IN. PACE. DOMINICVS. AMATO. DOMO MONTEPILVSIO. QVEM. IN. RECINETI. PRIMVM. ADHAEC VELITRANO. IN. CAMPANO. DEMVM. VICARIATV. SATIS SPECTATVM. BENEDICTVS. XIV. ACERRIMVS. ILLE. AESTIMATOR CASTRENSI. CATHEDRAE. PLAVDENTIBVS. BONIS. PRAEFECIT IBI . SCIENTIAE . MATVRITATE . MORVM . INNOCENTIA EFFVSISSIMA. IN. PAVPERES. LIBERALITATE. CETERIS. DENIQVE APOSTOLICI. PASTORIS. ORNAMENTIS. VILLICATIONEM. SVAM TANTVM. PROBAVIT. QVANTVM. ILLO. ABEVNTE. OMNIVM LACRVMAE. OSTENDVNT. VIX. A. LXXIII. M. X. D. IV. SED A. XIX. M. IV. D. VI. DEP. IN. P. IV. KAL. QVINCTILES CIↃIↃCCLXIX

CXVI

In fronte Opusculorum Alexii Symmachi Mazochii editionis Neapolitanae.

MARCO. ANTONIO. COLVMNAE

ALLIANENSIVM. PRINCIPI

CAROLI. III

HISPANIARVM. NOVI. QVE. ORBIS. MONARCHAE

AC. FERDINANDI. IV. SICILIARVM. REGIS

INTIMAE. ADMISSIONIS. CVBICVLARIO

QVI . AB . PENITIORI . MVSARVM . CONTVBERNIO

EAM. ELEGANTIAM

MORVM. QVE. SVAVITATEM . EXPRESSIT

QVIBVS. SVPRA. AVITA. MAIORVM. DECORA

FACILE. ADSVRGENS

SPECTATISSIMAE. FAMILIAE. PLVS. ORNAMENTI

REDDIDIT. QVAM. AB. EA. ACCEPERAT

QVI. MAXIMIS. ADHIBITVS. NEGOTIIS

PVBLICAM. SEMPER. PRIVATAM. QVE

PRINCIPIS. ADPROBATIONEM. PROMERVIT

IN . INSPRVKIANIS . PRAESERTIM . COMITIIS

CXVII

LEGATIONEM . SVAM . ITA . CVIVIS . PROBAVIT
VT . NEAPOLITANI . NOMINIS . GLORIAM
APVD. EXTERAS. NATIONES. LONGE. AVXERIT
CVIVS. AMPLA . DOMVS
ATQVE. EGREGIA. LIBRORVM . SVPELLEX
DOCTIS. HOMINIBVS. NVLLO. CONCILIATORE
VLTRO . SEMPER. PATVIT
HVIC . LITTERATORVM . OMNIVM
PRAESERTIM . SYMMACHI. MAZOCHII
AESTIMATORI . AC . MECOENATI
CAIETANVS. MIGLIORE
LATINA . EIVSDEM. ALEXII. OPVSCVLA
SI . MINVS. AB. NVNCVPANTIS
AB. AVCTORIS . CERTE . NOMINE
EI. FVTVRA. IVCVNDISSIMA
CLIENS . PATRONO . BENEMERENTISSIMO
GRATI. ANIMI . MONVMENTVM
D . D



CXVIII

In fronte Horatii ad usum Delphini editionis Neapolitanae.

BERNARDO. MARCHIONI. TANVSIO
FERDINANDO. IV. SICILIENSIVM. REGI
A. SECRETIS. AC. SVPREMIS. CONSILIIS
INTIMO. EIVS. CVBICVLARIO
AC. TORQVE. AVREO. S. IANVARII. INSIGNITO
AMPLIFICATORI. CONSERVATORI. QVE. REI. NEAPOLITANAE
QVOD. CAROLO. PATRI. AC. FERDINANDO. FILIO
REGIBVS. PP. FF. SEMPER. AVGG
FVERIT. SEMPER. CARISSIMVS
QVOD. NEAPOLITANI. NOMINIS. GLORIAM
LEGIBVS. LITTERIS. MAGISTRATIBVS. RELIGIONE. MVNIFICENTIA
APVD. EXTERAS. GENTES. AMPLIFICAVERIT
QVOD. ELEGANTIORES. PACIS. ARTES
PROPOSITIS. PRAEMIIS
AD. PRISTINVM. SPLENDOREM. RESTITVERIT
HORATIANA. ISTHAEC. EPIGRAMMATA
QVAE. SVPRA. CETEROS. ILLE
AVREAE. AETATIS. AVCTORES. IN. DELICIIS. HABET
MICHAEL. STASIVS
GRATI. ANIMI. MONVMENTVM
D. D. D. L. M
VT. QVOS. VENVSINVS. IPSE
SVO. SEMPER. MECOENATI
SISTERE. CONSVEVIT. VERSVS
BENEMERENTISSIMI. NEAPOLITANORVM. MECOENATIS
NOMEN. IN. FRONTE. GERANT



CXIX

Neapoli in Metropolitana Ecclesia.

AVGVSTO. AETERNITATIS. VIATICO
PER. COMPITA. DECENTIVS. DEDVCENDO
SACRAM. HANC. SVPELLECTILEM
PIENTISSIMI
HVIVS. MAXIMAE. CVRIAE. POPVLARES
AERE. CONLATO. F. C
ANNO. CIƆIƆCCLXI

Neapoli

Supra Ecclesiae portam extrorsum.

DOMINICO. LANDOLINO
E. TVRRIS. BRVNAE. PRINCIPIBVS
PATRITIO. NETINO
SVPREMIS. MAGISTRATIBVS. GESTIS
RELIGIONE. GENERE. DOCTRINA
COMMENDATISSIMO
PARENTALIA

Ad Ecclesiae fornices introrsum.

I.

DOMINICVS. LANDOLINVS
NE. PAVPERES. QVOS. HABVIT. IN. VITA
CARISSIMOS
VEL. MORTVVS. DESERERET
RARISSIMO. LIBERALITATIS. EXEMPLO
SVPREMIS. TABVLIS. HEREDES. SCRIPSIT. EX. ASSE

II.

QVI. A. PRIMA. AETATE
INTERIORES. LITTERAS. VNICE. FOVERAT
VEL. IN. IPSA. MVLTIPLICIVM
NEGOTIORVM. TVRBA
PERINDE. QVASI. ALIVD. NON. AGERET
IMPENSISSIME. COLVIT

CXX

In fronte tumuli temporarii.

SPEI . ET . SECVRITATI . AETERNAE
DOMINICI . LANDOLINI
E . TVRRIS. BRVNAE. PRINCIPIBVS
PATRITII. NETINI
ROMANI. PVBLICI. QVE. IVRIS. PRVDENTISSIMI
QVI . GRAVIORVM . CAVSSARVM . PATROCINIIS
PANORMI. AB. AETATE . PRIMA . SVBACTVS
IN . PRAETORIS . CVRIA
IIIVIR. STLITIBVS. IVDICANDIS
AD . HAEC . IIIVIR . CAPITALIS
SINE. PROVOCATIONE
TVM . FISCALIBVS. CVRIS. PRO. REGIO . AERARIO
IN.QVE. PARRICIDII. REOS. PRAEFECTVS
CVM. OPERAM. SVAM. CAROLO . VI . P . F. A
ET. CAROLO . VTRIVSQVE . SICILIAE. REGI
SATIS . PROBASSET
NEAPOLIM. ARCESSITVS
IN. SVPREMA . PRO . REBVS. SICVLIS. CVRIA
CONSILIARIVS. CREATVR
HVIC
PIETAS. ABSTINENTIA . RELIGIO. COMITAS
AD. ARDVA. EXPEDIENDA. DEXTERITAS
EFFVSA . IN . EGENOS. LARGITAS
CETERAE. DENIQVE . ANIMI . DOTES
HEV . PAREM . POSTHAC. NON. INVENTVRAE
PARENTANT
VIXIT . AN . LXXVII. MENS. VII. DIES. V. HORAS. VII
ELATVS . OMNIVM . LACRYMIS
XV. KAL. IAN . CIƆIƆCCLXVI

CXXI

Ferrariae in Curia Consulum ad Victualia.

CVRIAM. HANC. LOCI. ANGVSTIA
NEC. IVRI. DICVNDO. COMMODAM
NEQVE. AEDILIVM. DIGNITATI. PAREM
MICHAEL. ANGELVS. PROSPERI. IVDEX. SAPIENTVM
CLAVSO. PORTICV. AC. BINIS. ADIECTIS
QVAE. PONE. CONTINEBANTVR. CVBICVLIS
IN. ELEGANTIOREM. DIGNIOREM. QVE. FORMAM
EX. DECRETO. DECEMVIRVM
PECVNIA. PVBLICA. AMPLIAVIT
PROBANTE. FERDINANDO. CARDINALI. SPINELLIO
VRBIS. AC. PROVINCIAE. PRAESIDE
AEDILIBVS
FERDINANDO. COM. TROTTI. SIGISMVNDO. VESCOVI
GEORGIO. RONDONIO. FRANCISCO. SERENI
ANNO. CIƆIƆCCLXXXIX



INSCRIPTIONVM
PER CLASSES CONSPECTVS.

CLASSIS PRIMA
DEO, AC SANCTIS DEDICATORVM.

CLASSIS SECVNDA

PVBLICORVM, PRIVATORVMQVE OPERVM.

CLASSIS TERTIA.

AD FVNEBREM REM PERTINENTIVM.

CLASSIS QVARTA
EORVM, QVIBVS POSITAE SVNT INSCRIPTIONES.

CARMINVM INDICVLVS.



